

<INTRODUCTIO>

Habito de proprietatibus dictionum categorematicarum consequenter videndum est de proprietatibus dictionum syncategorematicarum; quae sunt distributio, exclusio, negatio, et huiusmodi. Et quia harum cognitio consistit in cognitione dictionum syncategorematicarum quarum sunt proprietates, propter hoc de syncategorematicis dictionibus ad praesens intendimus.

Et dicuntur syncategorematicae quasi: consignificativae, id est cum aliis significativae, scilicet cum categorematicis, non quia de se nihil significant, sed quia habent significationem non finitam sed infinitam, cuius finitationem trahunt ab adiunctis. Non enim significant aliquam rem, sed significant per modum dispositionis rei et terminorum significantium res. Dispositio autem omnis est in se infinita et finitatur per illud quod disponit.

Dictionum syncategorematicarum quaedam disponunt terminum ratione suppositi, quae appellantur signa, cuiusmodi sunt 'nullus', 'omnis', 'quidam', 'aliquis', et similia. Disponunt enim terminum pro suppositis. Unde termino discreto addi non possunt, quoniam care[n]t suppositis. Et de istis primo dicendum est.

Aliae sunt quae disponunt terminum principaliter ratione significati, ut sunt 'non', 'praeter', 'tantum', 'solus', et huiusmodi, quae nomine appropriato syncategoremata appellantur; de quibus posterius dicitur.

<DE SIGNIS>

Signorum quaedam sunt universalialia, ut 'omnis', 'nullus', et similia; quaedam particularialia, ut 'quidam', 'aliquis', et similia.

Et dicuntur universalialia eo quod faciunt terminum quem disponunt teneri pro universalitate suppositorum sub ipso contentorum. Et hoc est quod dicit ARISTOTELES I^o P e r i h e r m e n i a s: «*omnis' non significat universale, sed quoniam universaliter*». Dicuntur autem particularialia eo quod terminum faciunt teneri pro aliquo suorum suppositorum.

Omissis particularibus, quoniam eorum natura sufficienter cognoscitur per signa universalialia quibus supponuntur — sicut enim signa universalialia disponunt terminum pro quolibet suppositorum, et sic particularialia pro aliquo illorum —, de universalibus ad praesens erit consideratio. Quae dicuntur signa distributiva eo quod ipsorum operatio est distributio termini. Est autem distributio multiplicatio termini pro quolibet sui supposito.

Signorum universalium quaedam sunt distributiva substantiae, ut ‘omnis’, ‘nullus’, et similia; quaedam accidentium, ut ‘qualislibet’, ‘quantuslibet’, et similia. Dicitur autem hic substantia quidquid per modum substantiae significat sive per se stantis, scilicet substantivae, ut ‘homo’, ‘albedo’, ‘nigredo’, ‘qualitas’, ‘quantitas’. Accidens est quod per modum accidentis significat sive dependentis, ut accidens in concretionem dictum, ut ‘qualis’, ‘quantus’, et similia.

<De signis distributivis substantiae>

Signorum distributivorum substantiae quaedam sunt distributiva partium integralium, ut ‘totus’; alia sunt distributiva partium subiectivarum sive universalium.

Et horum quaedam sunt distributiva duorum suppositorum tantum, ut ‘uterque’, ‘neuter’; quaedam plurium. Et horum quaedam distribuunt absolute, ut ‘omnis’, ‘nullus’; quaedam sub conditione, ut ‘quisquis’, ‘quicumque’, et similia.

<De signis distributivis substantiarum absolutis>

Et horum primo dicendum est de distributivis substantiarum absolutis, cuiusmodi sunt ‘omnis’, ‘nullus’, ‘quilibet’, ‘unusquisque’, et consimilia.

Et est eadem natura distributionis in istis. Differunt tamen eo quod ‘quilibet’ et ‘unusquisque’ faciunt distributionem necessario pro suppositis si<n>gillatim acceptis, ‘omnis’, ‘nullus’ et pro singillatim acceptis et pro collectim acceptis. Et hoc secundum naturam diversorum praedicatorum. Et primo modo dicuntur teneri distributive, secundo collective. Posito enim quod omnes homines trahant navem simul, haec est vera “Omnis homo trahit navem”; haec autem falsa “Quilibet” vel “Unusquisque homo trahit navem”.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: OMNIS HOMO EST OMNIS HOMO.

Probatio: Sortes est Sortes, Plato est Plato, et sic de singulis; ergo omnis homo est omnis homo.

Contra: omnis homo est omnis homo; Sortes est homo; ergo Sortes est omnis homo. Haec est falsa; quare et prima.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod hoc signum ‘omnis’ potest teneri collective, sic est vera, et est sensus: hoc totum ‘omnis homo’ est hoc totum ‘omnis homo’; vel potest teneri distributive, sic est falsa, ut <im>probatur.

Et quia probatur et improbat in eodem sensu, scilicet secundum quod li omnis tenetur distributive, cum utrobique sit descensus pro suppositis, ideo respondendum est aliter, dicendo quod prima est falsa simpliciter, ut improbat. Ad probationem dicendum quod peccat per fallaciam consequentis ab insufficienti. Deberet enim totum praedicatum attribui toti subiecto pro qualibet sui parte et non solum partes praedicati deberent attribui partibus subiecti, dicendo “Sortes est omnis homo”, “Plato est omnis homo”, et sic de singulis, et e converso; quod patet per dici de omni. Quae omnes falsae sunt. Quare cum in probatione haec omittat, ideo probatur insufficienter.

Alio modo differunt, quia ‘unusquisque’ et ‘quilibet’ aliquando possunt distribuere cum partitione, aliquando sine partitione: cum partitione, quando construuntur cum genetivo, ut “Quilibet” vel “Unusquisque hominum currit”; sine partitione, quando construuntur sine genetivo, ut “Quilibet” vel “Unusquisque homo currit”.

Et eundem modum distribuendi pro duobus suppositis habent ‘uterque’ et ‘neuter’. Propter quod natura distributionis istorum et illorum eodem modo considerata est nec est specialiter tractandum de unoquoque.

Haec autem signa ‘omnis’, ‘nullus’ nequaquam possunt construi partitive nisi quod ‘nullus’ gratia sui primitivi potest teneri partitive, ut “Nullus istorum currit”.

‘Ambo’ autem cum ‘omnis’ habet eundem modum distribuendi respectu duorum, et ‘nemo’ respectu suppositorum hominis; componitur enim ex ‘non’ et ‘homo’.

Sciendum tamen quod distributio non cadit supra genetivum partitionis, sed per illum materia distributionis intelligitur in simili casu cum signo.

Ceterum autem est eadem natura in omnibus.

Et est regula generalis quod quandocumque implicatio et distributio cadunt in aliqua oratione circa idem, duplex est locutio ex eo quod signum potest includere implicationem vel e converso.

Ut patet in hoc sophismate: posito quod quilibet homo albus currat et non alius, inde sic: OMNIS HOMO ALBUS CURRIT.

Probatio: omnis homo currit. Haec est falsa et habet veritatem pro albis; quare facta implicatione pro albis est vera; quare prima vera.

Contra: omnis homo albus currit; ergo omnis homo currit, et ille est albus. Haec est falsa; ergo et prima.

Solutio: dicendum quod prima est duplex secundum dictam regulam. Potest enim distributio includere implicationem: sic est vera, quia tunc prius advenit implicatio termino et postea fit distributio solum

pro illis quibus convenit id quod implicatur. Regula enim est quod distributio cadens super terminum restrictum non distribuit ipsum nisi pro restrictis. Vel potest e converso implicatio includere distributionem: sic est falsa, quia tunc primo distribuitur terminus pro omnibus suis suppositis absolute, et tunc implicatio ultimo adveniens denotat rem implicatam convenire termino pro quolibet supposito pro quibus distribuitur; ut improbat.

<De signis distributivis substantiae sub conditione>

Dicto de signis distributivis substantiae absolutis dicendum de distributivis substantiae sub conditione, quae fiunt ex nominibus infinitis secundum PRISCIANUM per geminationem vel assumptionem ‘que’ vel ‘cumque’, ut ‘quisquis’, ‘quisque’ vel ‘quicumque’. De quibus sciendum est quod terminum quem distribuunt semper faciunt habere suppositionem geminam eo quod semper diversa verba respiciunt in oratione, ut “Quicumque currit, movetur”. Et omnia per se posita in se materiam suae distributionis includunt.

Est autem regula quod omnis oratio in qua huiusmodi signa ponuntur potest esse categorica vel hypothetica; et hoc secundum duplicem expositionem ipsorum. Uno enim modo potest exponi per conditionem, ut “Quicumque homo currit, movetur”, id est si aliquis homo currit, ille movetur. Et tunc est condicionalis. Alio modo potest exponi per signum distributivum absolute cum implicatione unius verbi circa subiectum, ut “Quicumque currit, movetur”, id est omnis homo qui currit movetur. Et tunc est categorica de subiecto implicato. Et in hoc sensu, cum in eadem <o>ratione includatur signum et implicatio, quaelibet huiusmodi oratio potest distingui secundum praedictam regulam, quod scilicet distributio possit includere implicationem vel e converso, et secundum hoc habet duplicem causam veritatis.

Si enim distributio includat implicationem: tunc non omni homine currente neque omni disputante, si tamen omnis currens disputet, haec est vera “Quicumque currit, disputat”. Si autem implicatio includat distributionem: tunc est falsa; in hoc enim sensu aequipollet istis duabus <simul> sumptis “Quilibet homo currit”, “Quilibet homo disputat” “Quicumque homo currit, disputat”, quoniam prius fit distributio subiecti pro suis suppositis quam per implicationem restringatur.

Dicto de signis distributivis pro partibus subiectivis dicendum est de signo distributivo inter partes integrales, cuiusmodi est 'totus'.

De quo sciendum quod dupliciter potest sumi in oratione. Uno modo categorematicè: et tunc est adiectivum et non signum. Et tunc idem est quod 'perfectum ens'. Et tunc dicitur in oratione teneri collective eo quod colligit omnes partes in unum compositum faciendo terminum teneri pro composito ex partibus, non pro ipsis partibus absolute, ut cum dicitur "Tota domus valet centum marcas".

Alio modo potest teneri syncategorematicè: et tunc est signum distributivum denotans terminum teneri respectu praedicati pro suis partibus, ut cum dicitur "Totus Sortes est albus". Sequitur enim "ergo pes Sortis est albus". Et tunc idem est 'totus Sortes' et 'quaelibet pars Sortis' vel una alteri aequivalet. Et in isto sensu facit propositionem universalem, non universalitate partium subiectivarum, sed integralium, ut "Totus Sortes est albus". Licet enim terminus discretus respectu sui totius universalis est pars, est tamen totum respectu suarum partium.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: TOTUS SORTES EST MINOR SORTE.

Probatio: pes Sortis est minor Sorte, caput Sortis est minor Sorte, et sic de singulis partibus eius; ergo totus Sortes est minor Sorte.

Contra: totus Sortes est minor Sorte; ergo Sortes est minor se ipso; quod falsum est; quare et prima.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod hoc signum 'totus' teneri potest collective vel distributive. Si teneatur collective: sic est falsa, ut improbat; et est sensus "Totus Sortes est minor Sorte", id est Sortes ex omnibus suis partibus compositus simul sumptis est minor Sorte. Si teneatur distributive: sic est vera, ut probatur; et est sensus "Totus Sortes" etc., id est quaelibet pars Sortis per se sumpta est minor Sorte.

Solutio aliter potest dici quod prima est vera et in improbatione est fallacia accidentis, quia in hac "Totus Sortes est minor Sorte" esse minorem Sorte attribuitur Sorti, non ratione sui totius, sed ratione suarum partium singillatim sumptarum; in conclusione autem sumitur pro se toto ex partibus constituto. Licet enim partes totum componant, aliquid tamen potest convenire partibus in se quod non convenit ipsis invicem sumptis in quantum totum constituunt.

Unde notandum quod accidentium quaedam conveniunt toti gratia totius, ita quod non partibus, ut "Tota domus valet centum marcas". Et respectu talium non licet inferri partem, ut dicatur: "ergo

paries valet centum marcas”. Et tenetur li totus categorematice. Alia sunt quae conveniunt partibus et non toti, ut in proposito. Et respectu talium ex partibus non licet inferri totum. Alia sunt quae indifferenter conveniunt toti et partibus, ut esse album vel nigrum. Et respectu talium ex toto distributo per hoc signum ‘totus’ possunt inferri totum et partes, ut “Totus Sortes est albus; ergo Sortes est albus; ergo pes Sortis est albus”. Et istis ultimis modis tenetur li totum ut signum et distributive.

<De signis distributivis accidentium>

Dicto de signis distributivis substantiarum dicendum est de signis distributivis accidentium. Et haec dicuntur distributiva accidentium eo quod distribuunt rem se habentem per modum accidentis concreti.

Exinde notandum quod multiplicatio accidentis potest fieri dupliciter: aut secundum numerum solum, aut secundum speciem. Prima habetur per signum distributivum substantiae. Numerus enim accidentium sequitur numerationem subiectorum, ut “Omnis homo albus currit”.

Secunda habetur per signum distributivum accidentium, ut cum dicitur “Quaelibet currit”. Hic distribuitur qualitas pro omnibus qualitatibus secundum speciem differentibus. Et haec non potest haberi per signum distributivum substantiae, quia in eadem substantia in numero non possunt esse plures qualitates solo numero differentes. Sed in eadem substantia numero sunt bene plura accidentia specie differentia, et pro his distribuit signum distributivum accidentium.

Et nota quod horum signorum quaedam distribuunt accidens absolute distributum, ut ‘qualislibet’, ‘quantuslibet’; quaedam sub conditione, ut ‘qualiscumque’, ‘quantuscumque’, ‘quotienscumque’. Et istorum est eadem natura respectu distributivorum accidentium absolute, qualis est distributivorum substantiae sub conditione ad distributiva substantiae absolute; praeterquam de hoc quod est ‘quotienscumque’, quod est distributivum temporis numerati sive temporis sub interruptione. Unde per praedicta de distributione illorum ‘quisquis’, ‘quicumque’ circa substantias patet distributio istorum ‘qualiscumque’, ‘quantuscumque’ circa accidentia.

Ad praedictorum manifestationem quaeritur de hoc sophismate: sit ita quod sint quattuor homines: Sortes, Plato, Cicero, Vergilius, et tres qualitates solum, scilicet dialectica, grammatica, musica; et Sortes sit dialecticus, Plato musicus, Cicero grammaticus; et omnes isti currant,

Vergilius autem sit simul dialecticus, musicus, grammaticus, et non currat. Inde sic: **QUALELIBET CURRIT.**

Probatio: dialecticus currit, musicus currit, grammaticus currit. Et non sunt plures qualitates; ergo qualelibet currit.

Contra: qualelibet currit; sed non est qualelibet nisi Vergilius; ergo Vergilius currit. Sed haec est falsa; quare et prima.

Solutio: dicendum: prima est vera, ut probatur secundum praedicta. Ad improbationem dicendum quod peccat per fallaciam figurae dictionis eo quod sub hoc quod est 'qualelibet', quod est distributivum accidentis, sumitur 'Vergilius', quod est de praedicamento substantiae; vel ex eo quod proceditur a suppositione simplici ad personalem. Res enim intellecta in hoc quod est 'qualelibet' simplicem habet suppositionem eo quod non potest verificari pro aliquo uno; sub quo sumitur 'Vergilius', ac si haberet personalem.

Item. Quaeritur de hoc sophismate: **QUODLIBET QUALELIBET DE QUOLIBET TALI SCIT SE IPSUM ESSE TALE QUALE IPSUM EST.** Posito quod tres sint qualitates tantum, scilicet grammatica, dialectica, rhetorica, et tres homines, Sortes, Plato, Cicero, et unusquisque habeat eas omnes et sciat se habere omnes; et sint tres alii homines, quorum unus sciat grammaticam tantum, alius rhetoricam tantum, tertius dialecticam tantum; et isti neque aliquid sciant de se neque de aliis.

Probatio primae: hoc qualelibet demonstrato Sorte de quolibet tali scit se ipsum esse tale quale ipsum est, ille demonstrato Platone scit etc., et sic de tertio demonstrato Cicerone; et non sunt plura qualelibet; ergo quodlibet qualelibet de quolibet tali scit se esse tale quale ipsum est.

Contra: quodlibet qualelibet etc.; ergo quodlibet grammaticum et quodlibet dialecticum et quodlibet rhetoricum scit se esse tale quale ipsum est; quod falsum est secundum positum; quare et prima.

Solutio: dicendum quod prima est vera. Ad improbationem dicendum quod in ipsa est fallacia figurae dictionis, quia sub hoc quod est 'quodlibet', quod est distributivum substantiae, sumitur 'grammaticum', quod est de praedicamento qualitatis. Si autem sumatur 'grammaticum' pro supposito, dicendum quod in <im>probatione est fallacia consequentis ab inferiori ad superius cum distributione. Licet enim grammaticum supponatur in distributione 'qualelibet' ratione accidentis distributi, 'quodlibet' tamen 'qualelibet' non supponit quodlibet grammaticum, cum fiat distributio pro suppositis et grammaticum est in plus secundum supposita quam qualelibet.

Item. Quaeritur de hoc sophismate: **QUOTIENSCUMQUE FUISTI PARISIUS, FUISTI HOMO.**

Probatio: una vice fuisti Parisius et illa fuisti homo, alia vice fuisti Parisius et illa fuisti homo; ergo prima est vera.

Contra: quotienscumque fuisti Parisius, fuisti homo; sed bis fuisti Parisius; ergo bis fuisti homo; quod falsum est.

Solutio: dicendum quod prima est falsa, quoniam, cum hoc signum 'quotienscumque' sit distributivum temporis interrupti sub condicione, eandem interruptionem quam exercet respectu praedicati in antecedente et suum relativum in consequente; est autem sensus: quotienscumque fuisti Parisius, totiens fuisti homo. Quare ad interruptionem respectu accidentis denotatur sequi interruptio respectu substantiae; quod est impossibile. Ad probationem respondendum est per interemptionem: dicendum quod quaelibet probantium est falsa pro altera parte. Haec enim est vera "Una vice fuisti Parisius", sed haec est falsa "Illa fuisti homo", cum vicissitudo non est circa rem cuius esse est totum simul; omne enim esse continuum cuiuslibet una vice includitur et mensuratur.

<De signo 'infinitem'>

Consequenter dicendum est de hoc signo 'infinitem'. De ipsius enim distributione specialis solet fieri dubitatio.

Prius tamen notandum quod 'infinitem' in rebus quinque modis dicitur. Sumitur enim secundum unam significationem, scilicet privatum termino.

Primo modo dicitur 'infinitem' quod non contingit pertransiri, secundum quod vox dicitur invisibilis eo quod nullo modo potest videri. Et tale infinitem nec est nec possibile esse. Et est infinitem simpliciter, aliis modis infinitem secundum quid.

Secundo modo dicitur 'infinitem' transitus imperfectus aptus tamen perfici, ut cum aliquis venit ad aliquod spatium, nondum tamen pervenit ad eius terminum, dicitur transitus eius infinitem, id est non finitus. Et tale infinitem est ponere actu.

Tertio modo dicitur aliquid 'infinitem' secundum divisionem, ut continuum. Omne enim continuum divisibile est in infinitem.

Quarto modo dicitur aliquid 'infinitem' secundum appositionem, ut numerus per appositionem unitatis crescit in infinitem.

Quinto modo dicitur aliquid 'infinitem' utroque modo, scilicet appositione et divisione, ut tempus, cum sit continuum, est infinitem divisione et procedit in infinitem, et per appositionem temporis supra tempus.

Et in his tribus ultimis significationibus infinitum nihil est actu sed potentia solum. Et definitur sic: *«infinitum est illud cuius quantitatem accipi-entibus semper est sumere aliquid extra»*, ut quantumcumque procedamus dividendo lineam, semper remanet aliquid dividendum. Infinitum enim huiusmodi consistit semper in accipiendo aliud ad aliud. Et dicitur ‘infinitum’ non propter partes eius acceptas; quidquid enim eius fuerit acceptum est finitum. Sed dicitur ‘infinitum’ propter partes eius accipiendas in infinitum, quas numquam ponere est actu completo. Quot-cumque enim sumantur, semper manet potentia accipiendi plures.

Unde sicut signa distributiva terminum distribuunt pro partibus suis actu sumptis sub ipso, de quibus determinatum iam est, sic hoc signum ‘infinitum’ distribuit terminum pro suis partibus in infinitum accipiendis in potentia. Unde est distributivum quantitatis tam continuæ quam discretæ pro partibus secundum quas ei ‘infinitum’ congruit, scilicet pro in infinitum accipiendis; unde materiam suæ distributionis infinitæ in se includit.

Est enim sensus: ‘infinitum’, id est quantumlibet accipiendum, scilicet tam secundum divisionem quam secundum appositionem. Et hoc modo tenetur ‘infinitum’ ut modus accipiendi terminum pro parti-bus, modis præcedentibus ut res.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: INFINITA SUNT FINITA.

Probatio: duo sunt finita, tria sunt finita, et sic in infinitum; ergo infinita sunt finita.

Contra: ibi prædicatur oppositum de opposito; ergo locutio est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod hoc quod est ‘infinitum’ potest teneri ut res vel ut modus. Si teneatur ut res, sic est falsa, ut improbat. Si teneatur ut modus, sic est vera, ut probatur. Et est sensus “Infinita sunt finita”, id est res quantumlibet sive infinities accipiendæ sunt finitæ.

<DE DISPONENTIBUS TERMINUM RATIONE SIGNIFICATI>

Dicto de syncategorematicis dictionibus quæ principaliter sunt dispositiones termini ratione suppositorum, ut sunt signa distributiva, consequenter dicendum est de illis quæ terminum disponunt principa-liter ratione significationis, quæ generaliter dispositionem subiecti in quantum subiectum vel prædicati in quantum prædicatum significant. Dispositio enim ratione suppositorum est, quando sub ipso termino

potest fieri sumptio ‘sub’ pro individuīs, sed ratione significati est, quando denotat ipsum pro suo significato, ut cum dicitur “Homo solus currit”, non fit sumptio ‘sub’, sed denotatur scilicet cursus inesse homini et non alii ab homine.

Sed quia omnes huiusmodi dictiones difficultatem includunt in enuntiationibus principaliter propter naturam negationis quae in eis intelligitur, ut patebit per ipsorum expositiones, ideo primo dicendum est de negatione significata per hanc negationem ‘non’.

<De affirmatione et negatione in se>

Sed quia secundum ARISTOTELEM in «*non esse intelligitur esse et omnino in negatione affirmatio*», et negatio non habet esse neque cognosci nisi per affirmationem, sicut neque privatio nisi per habitum, propter hoc affirmatio praecedat negationem, sicut habitus privationem. Unde ad habendum plenum intellectum negationis primo videndum est de affirmatione.

Et quia affirmatio consistit in compositione affirmativa, de compositione considerandum est. Penes enim diversitatem compositionis dinoscitur negatio, quae est divisio eius opposita.

<De compositione>

Unde notandum quod compositio uno modo sumitur ut est res, ut significatur per hoc nomen ‘compositio’ vel per hoc verbum ‘compono’; et sic de ipso non est hic sermo. Alio modo sumitur haec pro unione diversorum adinvicem. Et harum quaedam est compositio rerum, ut totius integralis ex suis partibus et formae cum materia et partium lineae ad punctum, et huiusmodi.

Alia est modorum intelligendi et significandi, secundum quod in nomine dicitur significari compositio qualitatis cum substantia et in oratione praedicati cum subiecto et huiusmodi, quae non necessario sunt rerum adinvicem. Non enim hic dicitur significare substantiam cum qualitate, quia significant necessario illud quod vere est substantia aut vera qualitas, sed significant per modum substantiae cum qualitate; sic enim nomina accidentium, ut ‘qualitas’, ‘quantitas’, nomina non essent nec infinitari possent sicut nomina. Et hoc modo hic de compositione intendimus.

Compositionum igitur quae sunt modi intelligendi et significandi alia est qualitatis cum substantia, alia est actus cum substantia.

Compositio qualitatis cum substantia est vero duplex. Quaedam est qualitatis substantialis, sicut in nominibus substantivis, ut in hoc nomine ‘homo’ significatur res sub humanitate; res est substantia cuius humanitas est eius qualitas. Alia est compositio qualitatis accidentalis cum substantia, sicut in nominibus adiectivis, ut in hoc nomine ‘albus’. Significat enim accidens in concrectione ad substantiam infinite, quae est substantia eius, et accidens eius qualitas, secundum logicum.

Et notandum quod universaliter in significatione nominum compositio qualitatis cum substantia est sine omni medio, quia qualitas se ipsa cum substantia componitur propter inclinationem quam habet ad ipsam. Omnis enim forma et omnis qualitas et omne accidens se ipsis uniuntur materiae in qua sunt, quia non habent esse sine ipsa. Unde de accidentibus dicit BOETHIUS quod accidentis esse est inesse. Et similiter intelligendum est de esse accidentali cuiuslibet formae. Unde huiusmodi compositio magis proprie dicitur ‘unio’ quam ‘compositio’.

Compositio actus cum substantia est duplex secundum duplicem comparationem sive inclinationem actus ad substantiam. Cum enim omnis actus sit accidens in concrectione, secundum quod per verbum vel per participium significatur, et non e converso, ipsi actui debetur quaedam inclinatio ad substantiam in quantum accidens est significatum in concrectione. Et haec est substantia cui actus unitur significata in verbo, sicut substantia in nomine adiectivo, et non est subiecta sed praedicata. Cum enim dicitur “Sortes currit”, non praedicatur actus sive cursus absolute et in abstractione dictus, sed substantia infinita sub actu vel sub cursu, sicut cum dicitur “Sortes est albus”, praedicatur substantia infinita sub albedine. Aliter enim haec esset falsa “Sortes currit”; haec enim est falsa “Sortes est cursus” sicut haec “Sortes est albedo”, sed est sensus “Sortes currit”: Sortes est aliquid sub cursu. Et haec appellatur ‘compositio actus ad substantiam cui unitur’.

Secundaria debetur inclinatio actui ad substantiam in quantum est actus, id est prout habet inclinationem ad substantiam, ut de ipsa dicitur sive enuntiatur. Et haec appellatur ‘compositio actus ad substantiam de qua enuntiatur’.

Et haec est duplex. Aut enim est compositio ipsius actus ut uniti substantiae, et haec significatur in participio. ‘Legens’ enim <idem> est quod ‘qui legit’. Aut est compositio actus ut distantis a substantia, et haec significatur in verbo. Et per eam *«verbum»* secundum ARISTOTELEM *«est nota eorum quae de altero dicuntur, sicut praedicatum de subiecto»*. Et significatur per prius in verbo substantivo et per ipsum in aliis verbis in quibus intelligitur, et natum est componere indifferenter entia et non entia, ut “Homo est animal”, “Chimaera est non ens”. Unde non est ens

simpliciter sed secundum animam solum et contrahitur ad ens vel ad non ens secundum exigentiam extremorum. Unde quando verbum substantivum per se praedicatur, ut cum dicitur “Sortes est”, ponit rem esse non ratione compositionis quam importat, sed ratione entitatis significatae per ipsum. Unde cum compositio non habet esse nisi per inclinationem unius extremi ad alterum, compositio sine extremis nihil est.

Sed quia unumquodque intelligitur per illud quod dat ei esse, ideo dicit ARISTOTELES quod *«hoc verbum ‘est’ consignificat compositionem quam sine extremis non est intelligere»*.

Sic igitur patet quod in universo quinque modis est compositio.

Prima est qualitatis substantialis cum substantia, ut in nomine substantivo.

Secunda est accidentis cum substantia, ut in nomine adiectivo.

Tertia est actus cum substantia intra, ut in verbo cui res verbi est unita sive concreta.

Quarta est actus vel passionis <cum substantia> de qua enuntiat et unitur, ut in participio.

Quinta est actus cum substantia distante extra, ut in verbo similiter. Et haec compositio ultimo modo dicta est orationis. Et circa ipsam nata sunt fieri veritas et falsitas, quoniam indicat rem esse vel non esse. Aliae autem omnes <compositiones> sunt dictionum, quoniam indicant rem quae est vel quae non est. Et secundum hoc circa ipsas nata sunt fieri veritas et falsitas incomplexa, quae sunt rei entitas vel non entitas, ut in terminis significantibus ens veritas incomplexa, in significantibus non ens incomplexa falsitas.

<De negatione

De negatione in generali>

Cum secundum diversitatem compositionis dinoscitur divisio importata per negationem, post sermonem de compositione dicendum est de negatione.

Sciendum primo quod ‘negatio’ duobus modis sumitur. Uno modo ut est species enuntiationis, secundum quod negatio dicitur oratio negativa alicuius ab aliquo. Alio modo sumitur ‘negatio’ prout est proprietas dictionis habentis virtutem negandi, et hoc dupliciter. Aut enim est in dictione ut res significata, ut in hac dictione ‘negatio’ aut in hoc verbo ‘nego’. Aut est in dictione ut modus significandi et intelligendi, et

ita ut exercita; et sic importatur per hanc dictionem ‘non’ tamquam per instrumentum negandi.

Et hoc ultimo modo de ipsa est hic intentio.

Et haec dividitur, quia quaedam est negatio termini, ut illa quae facit terminum infinitum et additur termino per compositionem. Alia est negatio orationis et additur termino per appositionem.

Negatio termini dividitur, quia quaedam est quae respondet compositioni qualitatis cum substantia removendo qualitatem a substantia, sive fuerit substantialis sive accidentalis, et haec facit nomen infinitum, ut ‘non-homo’, ‘non-albus’; alia est quae respondet compositioni actus ad substantiam intra cui unitur removendo ipsam a substantia, et haec facit verbum infinitum et similiter participium, ut ‘non-currit’, ‘non-legens’, sicut infinitatur nomen adiectivum.

Negatio orationis respondet compositioni actus cum substantia de qua enuntiatur. Et dividitur, quia quaedam respondet compositioni actus cum substantia distante ab ea extra, et haec facit orationem negativam, ut “Sortes non currit”; alia est quae respondet compositioni actus cum substantia ei unita ut de qua enuntiatur, nec facit orationem totalem negativam, sed negat compositionem implicatam in participio, ut “Non legens currit”.

<De negatione in speciali

De negatione infinitante

De negatione nominis infiniti>

Dicto de negatione iam in generali consequenter dicendum est de unaquaque earum in speciali.

Et primo de negatione nominis infiniti. De qua sciendum primo quod nihil potest infinitari nisi illud quod primo significat aliquam rem finitam. Propter quod illa quae syncategoremata vocantur, quae rem finitam non significant, ut sunt ‘omnis’, ‘quilibet’ et similia, infinitari non possunt. Unde secundum ARISTOTELEM huic «*signo ‘omnis’*» non est addenda negatio, scilicet infinitans, quoniam «*non significat universale sed quoniam universaliter*».

De termino infinito substantiali notandum quod cum negatio in eo privat formam substantialem a materia propria — materia autem propria non habet esse sine propria forma nec e converso — nihil relinquit omnino de significatione specialis termini. Propter quod

huiusmodi terminus infinitus potest indifferenter praedicari de eo quod est et de eo quod non est, in quo non salvatur actualiter huiusmodi forma privata, quoniam huius privatio nulli alii repugnat.

Notandum quod differt negatio importata per *li* mortuum et per negationem, ut cum dicitur ‘non-homo’ et ‘homo mortuus’, quoniam privatio per negationem est secundum contradictionem; et altera pars contradictionis sequitur quodlibet sive ens sive non ens; propter quod privatio facta per negationem convenit cuilibet non participantem forma privata, sive fuerit ens sive non ens, sive natum participari sive non. ‘Mortuum’ vero privationem facit puram; et privatio et habitus nata sunt fieri circa idem; propter quod privatio facta per ‘mortuum’ solum praedicatur vere de eo quod aptum natum fuerat participari forma privata, quod non est ens. Unde bene dicitur “Caesar est homo mortuus” et “non-homo”. Bene etiam dicitur “Asinus est non-homo”; sed non dicitur “Est homo mortuus”.

Per hoc patet qualiter est de termino infinito accidentali, ut ‘non-album’. Cum enim in ipso privatur forma accidentaliter de supposito, quod potest manere sine accidente, illa negatio potest ipsum infinitare secundum privationem: et tunc relinquit suppositum. Et tunc praedicatur solum de illo circa quod natum est fieri accidens privatum; et talis privatio importatur per hanc praepositionem ‘in’, ut ‘iniustus’: non-iustus. Vel potest infinitare ipsum secundum negationem: et tunc nihil relinquit, immo privat unum cum alio. Et tunc indifferenter potest praedicari de illo quod non participat forma privata, sive fuerit ens sive non ens. Et primo modo intelligatur illud quod dicit ARISTOTELES I^o P R I O R U M : ad affirmativam de praedicato infinito sequitur negativa de praedicato finito, ut “Hoc est non-album; ergo non est album”, et non e converso. Secundo autem modo bene tenet e converso. Et secundum hoc verificatur illud quod dicit ARISTOTELES: negationes e contrario habent se affirmationibus, ut, si affirmatio est, genus affirmationis et consequitur, et affirmationes negationibus e contrario se habebunt, quod negatio antecedentis est genus et consequens ad negationem consequentis, ut sicut sequitur “Hoc est album; ergo est coloratum”, sic e converso “Hoc non est coloratum; ergo non est album”.

His visis circa infinitationem nominis in singulari, notandum est circa eius infinitationem in plurali, ut ‘non-homines’, ‘non-alba’.

Cum in huiusmodi enim nomine importatur res significata et eius numeratio, potest prius rei significatae advenire negatio quam numeratio vel e converso. Si primo modo, tunc est formae privatio pro quolibet supposito in singulari. Et sic est falsa “Isti sunt non homines” demonstratis Sorte et Brunello. Vel potest e converso prius pluralis advenire

numeratio. Et tunc negatio superveniens non negat significatum absolute, sed in quantum est numeratum. Et tunc est vera, quia tunc non est sensus quod utrumque sit non-homo, sed quod non sunt plures homines sive multi.

<De negatione verbi infiniti>

Habito de nomine infinito notandum circa verbum infinitum.

Quod secundum quosdam non potest poni in oratione, quia tunc fit verbum negativum. Sed hoc simpliciter falsum est, quia moventur eo quod nesciunt distinguere inter negationem infinitantem verbum et facientem orationem negativam, quarum distinctio patet ex praedictis. Unde dicendum quod verbum infinitum manet infinitum extra orationem et in oratione, quoniam negatio infinitans non negat compositionem actus cum substantia extra, sed manet affirmativa, propter quod manet et tota oratio affirmativa dicendo “Sortes non currit”, secundum quod est verbum infinitum.

Verumtamen sciendum quod infinitatio verbi potest esse dupliciter, sicut nominis adiectivi. Aut secundum privationem, et tunc relinquit subiectum cui fit actus concretus, et sic ponit ens et solum praedicatur de ente. Vel secundum negationem, et sic nihil ponit, immo totum privatur remanente pura compositione respectu subiecti extra, quod reddit ei suppositum, quae secundum se indifferenter nata est componere entia et non entia, ut dictum est prius.

Et hoc modo secundum ARISTOTELEM «*verbum infinitum est in quolibet quod est et in quolibet quod non est*».

Et sicut est de verbo infinito, sic et de participio, quod per eandem naturam infinitatur.

<De negatione negante>

Dicto de negatione terminorum infinitante, dicendum est de negatione negante, quae respondet orationi.

De qua prima datur regula quod quotienscumque praeponitur propositioni hypotheticae in qua duplex est verbalis compositio respectu substantiae de qua enuntiatur res eius, duplex est locutio ex eo quod potest negare alteram illarum absolute, scilicet cum qua immediatius ponitur, vel unam illarum in comparatione ad alteram, scilicet principalem in comparatione ad non principalem, si altera sit principalior.

Secunda regula est quod quandocumque negatio ponitur in aliqua oratione cum alio syncategoremate vel cum implicatione, duplex est locutio ex eo quod unum potest includere reliquum vel e converso. Et ista regula generalis est omnibus syncategorematis.

Et fundatur prima regula supra istam: omnis propositio hypothetica fit per aliquod syncategorema, quod cum includit negationem, negatio negat compositionem cui praeponitur immediate absolute. Si vero includatur a negatione, negat compositionem unam in comparatione ad alteram.

Per hoc patet solutio multorum sophismatum. Verbi gratia: NUL-
LUS HOMO EST, SI ALIQUIS HOMO EST.

Probatio: non Sortes est, si aliquis homo est, non Plato est, si aliquis homo est, et sic de singulis; ergo nullus homo est, si aliquis homo est. Quod autem quaelibet probantium sit vera, patet per eius contradictoriam removendo negationem.

Contra: ibi sequitur oppositum ad suum oppositum; ergo locutio est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est falsa simpliciter. Ad probationem dicendum est quod quaelibet probantium est duplex ex eo quod negatio praeposita consequenti potest negare ipsum absolute, vel in comparatione ad antecedens.

Primo modo condicio includit negationem, et est falsa quaelibet probantium, et sequitur conclusio. Et est sensus “Non Sortes est, si aliquis homo est”, id est Sortem non esse sequitur ad aliquem hominem esse.

Secundo modo negatio includit condicionem, et sic quaelibet probantium est vera. Et est sensus “Non Sortes est, si aliquis homo est”, id est non sequitur quod Sortes sit, si aliquis homo sit. Et sic non sequitur conclusio, quoniam in praemissis negatur consequens in comparatione ad antecedens, sicut debet negari ad hoc quod faciat condicionalem negativam; in conclusione autem negatur absolute, quia distributio cui unitur negatio in hoc signo ‘nullus’ non fertur ultra compositionem verbi consequentis. Signum enim non distribuit aliquod positum extra suam clausulam.

Regula enim est: quotienscumque negatio et distributio includuntur in termino uno, ad nihil potest ferri unum sine reliquo.

Per idem patet solutio huius sophismatis: NON DEUS EST ET TU
ES ASINUS.

Probatio: eius contradictoria est falsa, haec scilicet “Deus est et tu es asinus”; ergo prima vera.

Contra: non Deus est et tu es asinus; ergo Deus non est et tu es asinus. Sed haec est falsa; ergo et prima.

Solutio: dicendum est quod prima est duplex. Potest enim negatio negare primam partem copulativae absolute, et sic est falsa, ut improbat, et copulatio includit negationem; vel in comparatione ad aliam, sic est vera, ut probatur, et negatio includit copulationem.

Et sic universaliter debet sumi hypotheticae contradictio, secundum quod possibile est eam sumi.

Per hoc idem patet similiter solutio huius sophismatis: SORTES NON CURRIT NECESSARIO.

Probatio: eius contradictoria est falsa, haec scilicet “Sortes currit necessario”, quoniam currit contingenter; quare <prima> est vera.

Contra: “Sortes non currit”, etc.; ergo necessarium est Sortem non currere; quare Sortem currere est impossibile. Haec est falsa; quare et prima ex qua sequitur.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod negatio potest includere li necessario vel e converso. Et hoc est quod aliter solet dici quod haec est duplex ex eo quod potest fieri negatio necessitatis vel necessitas negationis.

Si vero iudicetur per negationem includentem necessitatem, sic est vera. Et est sensus “Sortes non currit necessario”, id est Sortem currere non est necessarium. Si autem iudicetur li necessario includens negationem, sic est falsa. Et est sensus “Sortes non currit necessario”, id est haec negativa “Sortes non currit” est necessaria.

Et nota quod illud dicitur includi quod primo adveniens in oratione est materiale respectu alterius.

Item regula est: quandocumque duae negationes ponuntur in aliqua oratione, aequipollent affirmationi uni.

Et ex hac sequitur alia regula: quandocumque duo signa universaliter negativa ponuntur in eadem oratione, primum aequipollet suo contrario, secundum suo contradictorio.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: NIHIL NIHIL EST.

Probatio: haec est falsa “Aliquid nihil est”; ergo haec est vera “Nihil nihil est”.

Contra: nihil nihil est; ergo nihil nulla substantia est; sed haec est falsa, quia aequipollet ei quae est “Quidlibet est aliqua substantia”, per secundam regulam; quae falsa est; quare et prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est vera simpliciter, scilicet haec “Nihil nihil est”, quia aequipollet huic “Quidlibet aliquid est” per secundam regulam. Ad improbationem dicendum quod peccat per fallaciam consequentis a superiori ad inferius affirmando. Haec enim “Nihil nihil

est” aequipollet huic “Quidlibet aliquid est”. Haec vero “Nihil nulla substantia est” aequipollet huic “Quidlibet aliqua substantia est”. Sicut ergo non sequitur “Quidlibet aliquid est; ergo quidlibet aliqua substantia est”, sic nec illud <“Nihil nihil est; ergo nihil nulla substantia est”>.

Et notandum ad verificationem primae regulae quod duae negationes in eadem oratione non quolibet modo aequipollent affirmationi, sed solum quando una cadit super aliam ipsam negando. Duae enim negationes quarum una cadit supra compositionem implicatam circa subiectum, alia supra compositionem principalem, non aequipollent affirmationi uni, ut “Iste homo, qui non movetur, non currit”, non sequitur “ergo homo qui movetur currit”. Et per hoc patet quod secunda regula de duobus signis universalibus negativis solum tenet, quando negatio unius cadit super alterum, ut quando unum est a parte subiecti, alterum a parte praedicati. Si enim alterum signorum fuerit implicatum circa subiectum, non tenet regula. Hae enim “Nullum ens nihil est homo”, “Quodlibet ens aliquid est homo” non aequipollent, quoniam secunda est falsa, prima autem vera. Quod patet per eius contradictoriam, quae falsa est, scilicet haec “Aliquod ens nihil est homo”.

Notandum etiam quod duae negationes aequipollentes affirmationi non semper faciunt affirmationem, ita quod ab ipsis poterit dici propositio affirmativa, sed solum quando ambae cadunt supra compositionem principalem orationis. Licet enim istae propositiones “Nihil nihil est” et “Nihil est nihil” aequipollent huic affirmationi “Quidlibet aliquid est”, prima est affirmativa, quia eius contradictoria est negativa, haec scilicet “Aliquid nihil est”, secunda vero negativa, quoniam eius contradictoria est affirmativa, haec “Aliquid est nihil”. Et non est inconveniens propositionem negativam aequipollere affirmativae. Omnis enim affirmativa de praedicato infinito cum termino substantiali aequipollet negativae de praedicato finito, ut istae “Omnis asinus est non-homo”, <“Omnis asinus non est homo”>.

<De dictionibus habentibus virtutem negationis

De dictionibus exclusivis>

Dicto de negatione in se dicendum de dictionibus habentibus virtutem negationis in se.

Et primo de dictionibus exclusivis, quae sunt ‘tantum’, ‘solus’. Quae dicuntur dictiones exclusivae, non quia significant exclusionem, sed quia in oratione ipsam exercent. Significant enim privationem associationis sive concomitantiae aliquorum cum alio respectu tertii, ad quam privationem sequitur exclusio omnium aliorum respectu illius tertii, sicut proprius actus et proprietates dictionis exclusivae.

Est enim exclusio remotio diversorum ab eodem respectu tertii. Unde quando dictio exclusiva additur subiecto, excludit diversa a subiecto respectu praedicati, ut “Tantum Sortes currit”; ergo “Nihil aliud a Sorte currit”. Addita vero praedicato excludit diversa a praedicato respectu subiecti, ut “Sortes videt tantum Platonem”, ergo “Non videt alium a Platone”.

Est autem differentia inter ‘tantum’ et ‘solus’ eo quod haec dictio ‘tantum’ potest addi tam subiecto quam praedicato, haec dictio ‘solus’, cum sit nomen adiectivum, solum additur subiecto, nisi teneatur adverbialiter. Sed tunc non est dictio exclusiva, quoniam non privat associationem sive concomitantiam simpliciter sed solum simultatis. Sic enim ‘solus’ idem est quod ‘non cum alio’ sive ‘solitarie’, et non idem quod ‘non alius’.

Per hoc patet solutio huius sophismatis: SOLUS SORTES ET DUO SUNT TRIA.

Probatio: Sortes non cum alio et duo sunt tria; ergo solus Sortes et duo sunt tria.

Contra: alius a Sorte et duo sunt tria; non ergo solus Sortes et duo sunt tria.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod haec dictio ‘solus’ potest teneri categorematice et exponi per ‘non cum alio’, sic est vera, ut probatur; vel syncategorematice et exclusive, sic est falsa, ut improbat. Et tunc est sensus “Solus Sortes et duo sunt tria”, id est Sortes et duo sunt tria et nullus alius a Sorte et duo sunt tria; quod falsum est.

Item notandum quod ad exclusionem quattuor requiruntur, scilicet quod excluditur, et a quo fit exclusio, et respectu cuius fit, et actus excludendi per dictionem exclusivam importatus sicut per instrumentum. Sicut patet hic “Tantum Sortes currit”, sensus est: Sortes currit et nihil aliud a Sorte currit; ‘Sortes’ est illud a quo fit exclusio, ‘aliud a Sorte’ est quod excluditur, ‘currit’ respectu cuius, ‘tantum’ dictio exclusiva.

Et notandum quod universaliter illud potest excludi ab alio respectu alterius a quo removetur illud a quo fit exclusio, et non aliud. Unde nihil quod cognoscitur sequi necessario aliquid respectu alicuius potest excludi ab eo respectu illius, ut cum ad hominem currere necessario sequitur animal currere, non sequitur “Tantum homo currit, non ergo animal currit”.

Item notandum quod, cum omnis propositio exclusiva aequipollet copulativae, exigitur ad eius veritatem veritas utriusque <partis> copulativae. Verbi gratia, ad veritatem huius “Tantum Sortes currit” exigitur Sortem currere et aliud a Sorte non currere. Unde potest habere duplicem causam falsitatis: vel quia Sortes non currit, vel quia alius a Sorte currit. Unde et sua opposita “Non tantum Sortes currit” potest duplicem habere causam veritatis: aut quia Sortes non currit, aut quia alius a Sorte currit. Et propter hoc non sequitur “Non tantum Sortes currit; ergo Sortes non currit”. Immo est ibi fallacia consequentis a duplici causa veritatis ad unam, et ita a positione consequentis.

Per hoc idem patet solutio huius sophismatis: TU NON TANTUM ES ASINUS.

Probatio: eius contradictoria est falsa, haec scilicet “Tu tantum es asinus”; ergo prima est vera.

Contra: tu non tantum es asinus; ergo tu es asinus | et alius a te est asinus.

Solutio: dicendum quod haec “Tu tantum es asinus” habet duplicem causam falsitatis secundum praedicta. Quare sua opposita “Tu non tantum es asinus” habebit duplicem causam veritatis, scilicet aut quia tu es asinus et alius, aut quia tu non es asinus. Cum ergo infertur pro altera, fit fallacia consequentis praedicto modo.

Item notandum quod species exclusionis duae sunt: generalis et specialis. Dicitur autem exclusio generalis, quando excluduntur ab aliquo respectu alterius omnia quae sunt diversa ab illo respectu illius. Tunc enim <est> sensus huius “Tantum Sortes currit”, id est Sortes currit et nihil aliud a Sorte currit.

Dicitur autem exclusio specialis, quando excluduntur ab aliquo illa quae conveniunt cum ipso immediate in aliquo communi superiorum. Tunc enim huius “Tantum Sortes currit” est sensus: Sortes currit et nullus alius homo a Sorte currit.

De exclusionem speciali talis datur regula: quotienscumque fit specialis exclusio, non tenet argumentum ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva, neque e converso, neque a parte subiecti, neque a parte praedicati. Ut posito quod Sortes currat et nullus alius homo, sed moveantur, cum alia animalia currant, haec est vera “Solutus Sortes currit”

faciendo specialem exclusionem, quia sensus est: Sortes currit et nullus alius homo currit. Sed non sequitur “Solus Sortes currit; ergo solus homo currit”, quoniam haec est falsa, quia sensus esset huius: homo currit et nullum aliud animal currit; neque sequitur “Ergo solus Sortes movetur”, quia alii homines ab ipso moventur, licet non currant.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: AD SOLUM SORTEM ESSE SEQUITUR SORTEM ESSE.

Probatio: a<d> Sortem esse sequitur Sortem esse, et non ad alium hominem esse quam ad Sortem esse sequitur Sortem esse; ergo ad solum Sortem esse sequitur Sortem esse.

Contra: ad omnem hominem esse sequitur Sortem esse; non ergo ad solum Sortem esse sequitur Sortem esse.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod haec dictio ‘solum’ potest facere exclusionem specialem, et sic solum excludit opposita individua sub homine a Sorte, et sic est vera, ut probatur; vel potest facere exclusionem generalem, et sic excludit quodlibet aliud a Sorte, et sic est falsa, ut improbat.

De exclusionem generali talis datur regula: quotienscumque fiat exclusio generalis, bene tenet argumentum ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva, si sit ipsa a parte subiecti. Unde bene sequitur “Tantum Sortes currit; ergo tantum homo currit”. Quod patet tam per affirmativas quam per negativas in ipsis intellectas. Bene sequitur enim “Homo currit; ergo animal currit”, quia inferius ponit superius, et “Nihil aliud ab homine currit; ergo nullum aliud ab animali currit”, quia aliud ab animali ponit aliud ab homine et distributio consequentis ponit distributionem antecedentis. A parte vero praedicati neque tenet ab inferiori ad superius neque e converso, quoniam propositio exclusiva includit in se affirmationem et negationem. Et propter affirmationem non tenet a superiori ad inferius, ut “Solus Sortes movetur; ergo solus Sortes currit”, quia non sequitur “Sortes movetur; ergo Sortes currit”. Gratia negationis non tenet | e converso ut “Solus Sortes currit; ergo solus Sortes movetur;” sicut non sequitur “Nullum aliud a Sorte currit; ergo nullum <aliud> a Sorte movetur”. Immo utrobique est fallacia consequentis.

Secundum <hoc> quaeritur de hoc sophismate: TANTUM VERUM OPPONITUR FALSO.

Probatio: verum opponitur falso; et nihil aliud quam verum opponitur falso; ergo tantum verum opponitur falso.

Contra: tantum verum opponitur falso; ergo tantum verum et falsum opponuntur; quod falsum est, quia multa alia opponuntur, ut album nigro, bonum malo.

Solutio: dicendum quod prima est vera. Et in improbatione est fallacia consequentis ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva, quia opponi falso est in minus et inferius quam opponi simpliciter, sicut oppositio veri et falsi oppositione simpliciter, cum sit species eius.

Item regula est: quotienscumque dictio exclusiva additur termino habenti in se suppositum et accidens, duplex est locutio ex eo quod potest facere exclusionem suam circa ipsum ratione suppositi vel ratione accidentis, sive ratione formae vel materiae, vel ratione formae substantialis vel accidentalis; quod idem est.

Et per hoc solvitur hoc sophisma: TANTUM UNUM EST.

Probatio: unum est, et nihil est quod non sit unum; ergo tantum unum est.

Contra: tantum unum est, non ergo multa sunt; quod falsum est.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod iste terminus ‘unum’ significat idem quod aliquid sub unitate, et ita includit in se accidens et subiectum. Et sic potest fieri ab ipso exclusio ratione formae substantialis; et sic est vera, ut probatur. Et est sensus “Tantum unum est”, id est tantum aliquid sub unitate est; et tunc non sequitur quod multa non sunt, quia quod est sub unitate per se cum alio sumptum simul potest esse sub multitudine. Vel potest fieri exclusio ratione formae accidentalis quae est unitas; et tunc excludit eius oppositum quod est multitudo, et sic est falsa, ut improbat. Et est sensus “Tantum unum est”, id est tantum unitas habet esse in re et non multitudo.

Item regula est: quotienscumque dictio exclusiva additur alicui dicto, duplex est locutio ex eo quod potest facere exclusionem gratia totius dicti et excludere opposita gratia eius, vel partis dicti solum. Primo modo est de dicto, secundo modo de re.

Per hoc solvitur hoc sophisma: TANTUM DEUM ESSE DEUM EST NECESSARIUM.

Probatio: Deum esse Deum est necessarium, et nihil aliud quam Deum esse Deum est necessarium; ergo tantum Deum esse Deum est necessarium.

Contra: tantum Deum esse Deum est necessarium; ergo hominem esse animal non est necessarium. Quod falsum est; quare prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod haec dictio ‘tantum’ potest facere exclusionem suam circa hoc totum dictum ‘Deum esse Deum’; sic est falsa, ut improbat, et excludit omnia alia dicta respectu huius praedicati ‘necessarium’. Et est sensus “Tantum Deum esse Deum est necessarium”, id est tantum hoc dictum ‘Deum esse Deum’ est necessarium et nullum aliud. Vel potest facere exclusionem suam circa partem dicti, ut circa subiectum eius, quod est ‘Deum’; et

tunc est vera, ut probatur, et excludit diversa ab eo respectu huius totius 'esse Deum est necessarium'. Et est sensus "Tantum Deum" etc., | id est Deum, et non hominem vel aliquid huiusmodi aliud, esse Deum est necessarium.

Item regula est: quotienscumque dicitio exclusiva bis ponitur in aliqua oratione vel semel cum alio syncategoremate, duplex est locutio ex eo quod potest iudicari per unum vel per alterum, ut per illud quod est ultimo adveniens et formale in oratione includens sub virtute aliud.

Secundum quod bis ponitur in aliqua oratione, secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: SOLIS TRIBUS SOLA DUO SUNT PAUCIORA.

Probatio: tribus sola duo sunt pauciora, et non aliis quam tribus sola duo sunt pauciora; ergo etc.

Contra: solis tribus sola duo sunt pauciora; ergo solis tribus duo sunt pauciora. Vel sic: ergo duo sunt pauciora solis tribus; quod falsum est; quare prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod li sola potest includere li solis, et sic est falsa, ut improbatur, quoniam tunc eius praeiacens est falsa, haec scilicet "Solis tribus duo sunt pauciora". Unde sensus est "Solis tribus" etc., id est solis tribus duo sunt pauciora et solis tribus non sunt alia quam duo pauciora; quod falsum est pro prima parte copulativae. Vel potest li solis includere li sola, tunc est vera, ut probatur, quoniam tunc eius praeiacens est vera, haec scilicet "Tribus sola duo sunt pauciora", et aliis quam tribus non sola duo sunt pauciora, et sic semper negatio includens cadit supra inclusum.

Secundum quod semel ponitur cum alio syncategoremate, quaeritur de hoc sophismate: SOLA NECESSARIA NECESSARIO SUNT VERA.

Probatio: necessaria necessario sunt vera, et non alia quam necessaria necessario sunt vera; ergo sola necessaria necessario sunt vera.

Contra: sola necessaria etc.; ergo sola necessaria sunt vera; quod falsum est, quia contingentia sunt vera, tamen non sunt necessaria.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod li sola potest includere li necessario vel includi ab eo. Si 'sola' includat 'necessario', sic est vera, quoniam tunc negatio in hac dictione 'sola' non negat <esse> verum simpliciter et absolute ab aliis a necessariis, sed esse verum necessario. Et sic est sensus "Sola necessaria <necessario> sunt vera", id est necessaria necessario sunt vera et alia quam necessaria non sunt vera necessario. Si li necessario includat li sola, sic est falsa, et per negationem huius dictionis 'sola' excluditur esse verum simpliciter ab

aliis a necessariis et non verum necessario, quoniam negatio inclusa non cadit super includens. Et tunc est sensus “Sola necessaria” etc., id est necessaria necessario sunt vera et alia quam necessaria de necessitate non sunt vera. Et sic est necessitas negationis, ut improbatur. Primo modo fuit negatio necessitatis, ut probatur.

Item quaeritur de hoc sophismate: SOLUS SORTES EST ALBUS VEL NIGER.

Probatio: posito quod solus Sortes sit albus et alius, ut Plato, sit niger, inde sic “Solus Sortes est albus vel niger”. Probatio: haec est quaedam disiunctiva cuius altera pars est vera, haec “Solus Sortes est albus”; ergo ipsa tota est vera.

Contra: Plato est albus vel niger; non ergo solus Sortes est albus vel niger.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod | li solus potest includere li vel, vel e converso. Si ‘solus’ includat ‘vel’, sic propositio est de disiuncto praedicato et falsa, ut improbatur, quoniam tunc fit exclusio respectu totius disiuncti. Sed si ‘vel’ includat ‘solus’, sic propositio est disiunctiva et vera, ut probatur, quoniam tunc solum fit exclusio respectu huius praedicati ‘esse album’.

Unde haec distinctio valet tantum quod illa quae dicit quod haec coniunctio ‘vel’ potest disiungere inter terminos vel inter propositiones.

<De dictionibus exceptivis>

Post dictiones exclusivas dicendum est de dictionibus exceptivis, cuiusmodi sunt ‘praeter’, ‘praeterquam’. Quae dicuntur exceptivae, non quia significant exceptionem sicut hoc verbum ‘excipio’, sed quia per ipsas exceptio exercetur, sicut dictiones exclusivae dicuntur excludere, scilicet quia significant privationem concomitantiae, scilicet partis ad totum respectu tertii, ad quam sequitur exceptio partis a toto respectu illius, sicut proprius actus. Est autem exceptio tractio partis a toto respectu alicuius praedicati. Et propter hoc dicuntur dictiones instantivae eo quod partem a toto extrahunt, quae instantiam ponunt contra totum respectu alicuius praedicati. Sed quia pars non est instantia contra totum, nisi qua interempta necesse est totum interimi, sed talis non est pars aliqua, nisi quae actu est in toto et consequitur ad illud; propter quod nihil potest excipi ab aliquo, nisi sit pars actualiter contenta in toto, quae habet consequentiam ad ipsum su<m>ptum secundum se.

Unde regula est: terminus exceptus actualiter debet contineri in suppositione termini a quo fit exceptio; propter quod inconvenienter

dicitur “Omnis homo praeter Brunellum” et “Homo praeter Sortem currit”.

Et notandum quod ad exceptionem quattuor exiguntur, scilicet pars quae excipitur, et totum a quo fit exceptio, et respectu cuius fit, et actus excipiendi qui importatur per dictionem exceptivam sicut per instrumentum. Verbi gratia, cum dicitur “Omnis homo praeter Sortem currit”, ‘Sortes’ est pars quae excipitur, ‘omnis homo’ est totum a quo fit exceptio, ‘currit’ est illud respectu cuius fit exceptio, ‘praeter’ exceptiva dictio.

Et notandum quod pars respectu praedicati duplici de causa potest excipi: vel quia pars per se vere non subicitur praedicato, ut “Omne animal praeter hominem est irrationale”; aliquando autem pars excipitur a toto respectu praedicati, non quia praedicatum non convenire possit parti secundum se, sed non convenit ipsi prout est in suo toto et ita neque toti propter ipsum, nisi excipiat ab eo, ut “Totus Sortes praeter pedem potest contineri in arca”, posito quod totus Sortes potest arcam intrare, ita quod non possit recipere pedem eius cum eo.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: DECEM PRAETER QUINQUE SUNT QUINQUE.

Probatio: haec est falsa “Decem sunt quinque”, et non est instantia nisi quinque. Ergo facta exceptione pro quinque erit vera. Ergo haec est vera “Decem praeter quinque sunt quinque”.

Contra: decem praeter quinque sunt quinque; ergo quinque non sunt quinque, quoniam in propositione exceptiva affirmativa semper removetur praedicatum ab excepto, et in negativa semper praedicatum attribuitur excepto e contrario | illi a quo fit exceptio in qualitate; et semper eodem modo debet attribui uni et removeri ab alio.

Solutio: dicendum quod prima est vera, et improbatio peccat secundum accidens. Quod patet: licet enim quinque vere praedicatur de quinque secundum se, non tamen prout continentur in decem, et hoc modo excipitur ab ipso. Non ergo sequitur “Quinque sunt quinque, ergo decem praeter quinque”, sicut non sequitur “Cognosco Coriscum, ergo cognosco Coriscum venientem”, si Coriscus sit veniens.

Ad illud autem quod dicitur quod in exceptiva affirmativa praedicatum removetur a re excepta, dicendum quod hoc solummodo est, quando falsitas causatur in oratione propter partem exceptivam eo quod praedicatum non convenit parti per se. Sed quando causatur falsitas in oratione per partem eo quod, licet praedicatum convenit parti in se, non tamen convenit ei ut est in toto, tunc non contingit praedicatum removeri ab excepto, et sic est in proposito. Ideo illud non tenet. Et primo modo dicitur teneri exceptive proprie, secundo modo diminutive. Si

teneatur diminutive, sic est vera, ut probatur; et est sensus “Decem praeter quinque sunt quinque”, id est decem diminutis quinque sunt quinque. Vel potest teneri exceptive, et sic est falsa, ut improbat.

Item regula est quod cuiuslibet exceptivae verae praeiacens est falsa. Praeiacens autem est illa a qua removetur falsitas per partis exceptionem.

Item omnis propositio vera sine exceptione falsa est cum exceptione.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: OMNIS HOMO EXCIPITUR PRAETER SORTEM, posito quod omnes alii excipiantur ab aliquo, et Sortes non.

Probatio primae: haec enim est falsa “Omnis homo excipitur” secundum positionem, et non est instantia nisi in Sorte; ergo facta exceptione pro Sorte, est vera. Ergo haec est vera “Omnis homo excipitur praeter Sortem”.

Contra: in hac propositione per dictionem exceptivam Sortes excipitur; quare praeiacens exceptivae est vera simpliciter et illa exceptiva est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est vera simpliciter. Et improbatio peccat per fallaciam secundum quid et simpliciter, quia excipi ab exceptione est excipi secundum quid, sicut privari a privatione, ut a caecitate, est privari secundum quid. Vel prima potest solvi per aequivocationem exceptionis, quod quaedam est exercita, quaedam significata. Et loquendo de exceptione significata, sic prima est vera, ut probatur; loquendo autem de exceptione exercita, sic est falsa, ut improbat. Et sic loquendo de eadem exceptione non sunt simul vera cum exceptione et sine exceptione.

Item regula est: quotienscumque ex toto integrali fiat totum in quantitate, exceptio adveniens potest excipere ab ipso ratione partium integralium vel universalium.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: QUAE LIBET DECEM PRAETER UNUM SUNT NOVEM.

Probatio: “Quaelibet decem sunt novem”, haec est falsa; et non est instantia nisi in uno; ergo facta exceptione pro uno est vera. Vel sic: haec, scilicet decem, praeter unum, sunt novem, illa, et sic de singulis; ergo prima est vera. |

Contra: quaelibet decem praeter unum sunt novem; ergo omnia alia decem ab uno sunt novem; quod falsum est.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod potest fieri exceptio ab hoc termino ‘decem’ ratione partium aggregationis sive

integralium, sic est vera, ut probatur; vel ratione partium universalium, sic est falsa, ut improbat.

Item propositio falsa in toto verificari non potest per exceptionem.

Item propositio falsa in pluribus per exceptionem unius verificari non potest.

Item quaecumque in aliqua oratione tot excipiuntur quot supponuntur, locutio est falsa sive incongrua.

Secundum hoc, posito quod quilibet hominum videat omnem hominem alium a se, se autem non videat, quaeritur de hoc sophismate: OMNIS HOMO VIDET OMNEM HOMINEM PRAETER SE.

Probatio: Sortes videt omnem hominem praeter se, Plato videt omnem hominem praeter se, et sic de singulis; ergo prima est vera.

Contra: ibi tot excipiuntur quot supponuntur; ergo locutio est falsa, quoniam hoc relativum quod est 'se', quod est relativum secundum identitatem, refert ad hoc totum 'omnis homo', quare refert ipsum. Et est sensus "Omnis homo videt omnem hominem praeter se", id est praeter omnem hominem. Sed haec est falsa; quare et prima.

Solutio: dicendum quod prima simpliciter est vera. Et ad improbationem dicendum quod illa regula "quando in oratione tot excipiuntur quot supponuntur, locutio est falsa" intelligenda est de exceptione unita et quando eodem modo excipiuntur sicut supponuntur. Sic autem non est hic: supponuntur enim in antecedente supposita sub unione, non autem sic excipiuntur in relativo reciproco, sed sub divisione singillatim reddendo singula singulis.

Et notandum quod quaecumque dicta sunt de hac dictione 'praeter' intelligenda sunt de hac 'praeterquam'. Nec est differentia nisi in hoc quod haec dictio 'praeter' exigit exceptum semper in accusativo; haec autem dictio 'praeterquam' exigit in eodem casu cum illo a quo fit exceptio, ut "Omnis homo currit praeterquam Sortes".

<De dictionibus consecutivis>

Sequitur de dictionibus consecutivis, qualis est haec dictio 'si'. Quae dicitur consecutiva, non quia consecutionem significat, sed quia consecutio per ipsam exercetur. Significat enim causalitatem in antecessione, ad quam sequitur consecutio tamquam proprius effectus correlative se habens ad ipsam. Est autem consecutio antecedentis ad consequens ordinatio.

Est autem consecutio sive consequentia duplex. Quaedam enim est extremorum sub eodem tempore, ut “Si ignis est, calor est”; quaedam extremorum sub diversitate, et hoc dupliciter: aut prius sequitur posterius, ut “Cinis est, ergo ignis fuit”; aut posterius prius, ut “Crisis est, ergo sanitas erit”.

De regulis consecutionis notandum primo in generali quod in condicionali aliquando licet fieri descensum sub antecedente, aliquando sub consequente. Unde dantur plures regulae. |

Quarum prima talis est: si termini communes ponantur in antecedente et consequente alicuius condicionalis sine distributione, sub antecedente contingit fieri descensum consequente immobili permanente, ut “Si homo est, animal est; ergo si Sortes est, animal est”, et sic de aliis hominibus.

Secunda regula talis est: si termini communes ponantur in antecedente et consequente cum distributione, antecedente manente immobili sub consequente potest fieri descensus, ut “Si omne animal currit, omnis homo currit; ergo si omne animal currit, Sortes currit, Plato currit”, et sic de singulis hominibus.

Tertia regula est: si aliquid sequitur <ad> aliud, destructo consequente destruitur antecedens, ut “Si homo est, animal est; ergo si non animal est, non homo est”.

Quarta regula talis est: si aliquid sequitur ad aliud, posito antecedente ponitur consequens, ut “Si homo est, animal <est>; sed homo est; ergo animal est”.

Quinta regula talis est: quidquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens, ut “Si animal est, substantia est; sed si homo est, animal <est>; ergo si homo est, substantia est”.

Sexta regula talis est: quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, ut “Si homo est, animal est; sed si animal est, substantia est; ergo si homo est, substantia est”. Et per hanc regulam constat locus a primo ad ultimum.

Et est locus a primo ad ultimum, quando pluribus consequentiis continue positis, ita scilicet quod illud quod est consequens in una est antecedens in alia, et ultimum consequens denotatur sequi ad primum antecedens.

Et notandum quod ille locus solum tenet, quando in consequentiis intermediis illud quod est consequens in una consequentia et antecedens in alia, per eandem naturam fit antecedens in posteriori et consequens in priori. Si autem fieret eius variatio, fieret fallacia accidentis, sicut in syllogismo categorico ex variatione medii.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: SI NULLUM TEMPUS EST, ALIQUOD TEMPUS EST.

Probatio: si nullum tempus est, dies non est; et si dies non est, nox est; et si nox est, aliquod tempus est; ergo a primo ad ultimum: si nullum tempus est, aliquod tempus est.

Contra: ibi sequitur oppositum ad suum oppositum; ergo locutio est falsa.

Solutio: ad primam dicendum quod prima est simpliciter falsa. Ad probationem dicendum quod procedit per fallaciam accidentis ex variatione huius quod est “Dies non est”, in quantum consequitur ad primum antecedens et antecedit ad secundum consequens. Et uno modo tenet prima consequentia, alio modo non; et similiter secunda consequentia modo e contrario.

Unde dicendum quod haec negatio ‘non’, cum dicitur “Dies non est”, potest dicere negationem in genere, sive circa genus, scilicet relinquendo tempus simpliciter et removendo esse ab aliquo eius supposito, ut sit sensus “Dies non est”, id est tempus est, sed illud non est dies. Et sic non tenet prima consequentia, immo consequens implicat contradictionem antecedentis; et sic tenet consequentia secunda, per locum ab oppositis. Vel potest dicere negationem simpliciter sive extra genus; tunc non ponit de se aliquod tempus, et sic bene tenet consequentia prima per locum a toto in quantitate. | Sed non tenet consequentia secunda, quia destructio unius contrariorum immediatorum non ponit existentiam alterius nisi cum constantia subiecti. Unde oporteret inferre sic: “Dies non est, et tempus est; ergo nox est”, et ita, cum illud omittat, secundum quosdam facit fallaciam consequentis in probatione ab insufficienti.

Item notandum quod consequentiarum quaedam est simplex, ut illa quae fit ex antecedente et consequente simplici, ut “Si homo currit, animal currit”; alia est consequentia composita, ut illa quae est cum oppositione praetensa. Et harum quaedam est consequentia in ipso, ut cum fuerit consequentia aliqua et ad oppositum antecedentis denotatur sequi oppositum consequentis. Et huiusmodi consequentia tenet in contrariis privativis relativis, et hoc per illam regulam: si oppositum in opposito, et propositum in proposito, ut “Si virtus est, bonum est; ergo si vitium est, malum est”, et “Si visus est, sensus est, et si caecitas est, insensitas est”, et “Si duplum est, multiplex est, et si subduplum est, submultiplex est”. Unde huiusmodi consequentiae indifferenter possunt formari in una consequentia et in pluribus. Alia est consequentia e contrario, et haec tenet in contradictoriis, ut “Si homo est, animal est, et si non animal est, non homo est”.

Item notandum quod ad hoc quod propositio condicionalis dicatur negativa, oportet quod negatio feratur ad consequens. Sed notandum quod negatio dupliciter potest ferri ad consequens. Vel secundum quod sumitur absolute, et sic non facit eius negationem neque contradictoriam condicionalis affirmativae. Sic enim duae condicionales contradictoriae simul possent esse falsae, ut istae “Si homo currit, asinus currit”, et “Si homo non currit, asinus non currit”. Vel potest ferri ad ipsum secundum quod determinatur per antecedens, secundum quod dicit BOETHIUS quod antecedens est determinatio consequentis. Et sic negatio lata ad consequens facit condicionalem negativam et contradictoriam affirmativae, ut sunt istae “Si Sortes est homo, Sortes est asinus”; “Non Sortes, si est homo, est asinus”, id est ad Sortem esse hominem non sequitur Sortem esse asinum. Et secundum hoc distinguitur oratio dupliciter, quotienscumque negatio ponitur in consequente condicionalis, ut dictum est in capitulo ‘De negatione’.

Item notandum quod cum veritas condicionalis causetur ex habitudine antecedentis ad consequens, et non ex inhaerentia praedicati ad subiectum, neque in antecedente neque in consequente, sicut causatur veritas categorica, [quia] omnis condicionalis vera est necessaria et falsa est impossibilis; quia huiusmodi habitudo, cum sit vera, est necessaria, et cum falsa, impossibilis, quia fundatur super intentiones generales, quae sunt pars, totum, genus, species, et huiusmodi, in quibus consistit habitudo localis ut in subiecto proprio.

Item notandum pro regula quod secundum quosdam «*ex impossibili sequitur quidlibet*». Unde omnis condicionalis vera dicitur cuius antecedens fuerit impossibile, qualecumque fuerit consequens, ut “Si Sortes est asinus, Sortes est capra”.

Item solet dari alia regula quod «*necessarium consequitur quidlibet*». Unde condicionalis illa dicitur esse vera cuius fuerit consequens necessarium, qualecumque fuerit antecedens, ut “Si Sortes est asinus, Deus est”. Ratio autem per quam ipsas confirmant est haec: quod ad veritatem condicionalis exigitur quod antecedens non potest esse verum sine consequente. Unde omnis condicionalis est vera cuius antecedens non potest | esse verum sine consequente. Sed quando in condicionali antecedens est impossibile, cum nullum impossibile potest esse verum, ipsum non potest esse verum sine consequente. Et similiter, quando in condicionali consequens est necessarium, cum necessarium semper est verum, antecedens in ipsa non potest esse verum sine consequente. Quare huiusmodi consequentiae sunt verae et necessariae.

Verumtamen, quia omne antecedens in condicionali se habet in ratione causae respectu consequentis, et hoc vel essendi vel consequendi

ad minus, sed nihil in antecedente se habet in ratione causae alicuius nisi per aliquam habitudinem, quia nihil sequitur ad aliud nisi habeat aliquam habitudinem cum eodem; sed nihil est quod habet habitudinem cum omnibus; quare nihil est quod potest antecedere quidlibet aut sequi ad quidlibet; dicendum igitur breviter quod secundum veritatem ex impossibili, secundum quod impossibile est, nihil sequitur omnino, quoniam nihil est quod cum impossibili habeat habitudinem, eo quod impossibile nihil est. Si igitur aliquid ex antecedente impossibili sequatur, hoc non est ratione compositionis impossibilis in ipso, sed ratione rei quae subest huiusmodi impossibili. Et illud quod sic sequitur non debet esse, nisi illud quod habet aliquam habitudinem cum illa. Unde ad hanc “Si homo est asinus”, sequitur haec “Homo est animal”, non ratione compositionis impossibilis, sed ratione habitudinis quam habet asinus ad animal sicut species ad genus.

Dicendum igitur quod ex impossibili nihil sequitur nisi quod habet habitudinem cum aliquo terminorum qui impossibili subiciuntur. Et etiam oportet quod non sit tale quod ponat oppositum antecedentis vel repugnet alicui termino sub eo, scilicet ponendo oppositum alicuius consequentis ad ipsum. Unde bene sequitur “Si homo est asinus, homo est rudibile”, sed non sequitur “Si est rudibile, non est risibile”, quia illud repugnat homini, quia datur pro regula quod, quando antecedens est impossibile, numquam in consequentiis sequentibus tenet locus ab oppositis. Sed est intelligendum specialiter de oppositione concomitantium ea quae sunt sub impossibili; quoniam si aliqua concomitantur se, et illa quae concomitantur ea habent concomitantiam ad invicem. Respectu enim omnium aliorum bene tenet; unde bene sequitur “Si homo est asinus, homo non est capra”.

Per idem patet quod necessarium non sequitur ad quidlibet, sed solum ad illud cum quo habet habitudinem, ut “Si est dies, sol lucet”. Sed non est consequentia bona “Si Sortes sedet, asinus est animal”, quoniam in antecedente non est causa illationis consequentis, cum inter ea non est habitudo aliqua.

Ad causas illas, per quas regulas praedictas confirmant sustinentes eas, dicendum quod cum [enim] dicitur “condicionalis est vera cuius antecedens non potest esse verum sine consequente”, non fit ibi negatio ratione rei praedicatae sed ratione privationis associationis per hanc dictionem ‘sine’, ut sit sensus: illa condicionalis est vera, quando veritas condicionata in antecedente ponit veritatem consequentis. Sed sic non est in illis regulis, ut visum est, ideo non tenent. Unde arguunt acsi illa negatio esset ratione rei praedicatae principaliter; quod non est verum.

Distinguitur tamen consequentia dupliciter: quaedam simplex, de qua dictum est iam, et alia positiva ut nunc, in qua veritas antecedentis non dependet a veritate consequentis, neque e converso, ut “Si veneris ad me, dabo tibi equum”. De tali consequentia possunt praedictae regulae concedi, sed non propter causam assignatam. |

<De hac dictione ‘nisi’>

Habito de dictionibus exceptivis et consecutivis dicendum est de hac dictione ‘nisi’. Quae habet virtutem utriusque, scilicet exceptionis et consecutionis, quia aliquando tenetur consecutive, aliquando exceptive, quia componitur ex ‘non’ et ‘si’, sed differenter; quoniam, quando ponitur consecutive, ‘si’ includit negationem; quando exceptive, tunc negatio cadit supra condicionalem et includit eam. Quando autem tenetur exceptive, tunc denotat quod praedicatum communicat excepto et removetur ab aliis contentis sub termino a quo fit exceptio, ut “Nullus homo currit nisi Sortes”, sensus est: Sortes currit et nullus alius homo a Sorte currit; quando tenetur consecutive, tunc denotat consecutionem consequentis negati ad antecedens negatum, ut “Nullus homo currit nisi Sortes”, id est si Sortes non currat, nullus homo currat.

Et nota quod haec dictio ‘nisi’, secundum quod tenetur exceptive, differt ab hac dictione ‘praeter’, quoniam ‘nisi’ solum a propositione negativa excipit (male enim dicitur “Omnis homo currit nisi Sortes”), ‘praeter’ excipit tam ab affirmativa quam a negativa, ut dictum est prius.

Item ‘praeter’ semper exigit <exceptum> in accusativo, ‘nisi’ vero in diversis casibus et semper in simili casu cum illo a quo fit exceptio, ut “Nullus homo currit nisi Sortes”. In aliis est eorum natura consimilis.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: NIHIL EST VERUM NISI IN HOC INSTANTI.

Probatio: quidquid est verum est verum in hoc instanti; ergo nihil est verum nisi in hoc instanti.

Contra: nihil est verum nisi in hoc instanti; ergo te esse asinum non est verum nisi in hoc instanti; <ergo te esse asinum est verum in hoc instanti>; ergo tu es asinus in hoc instanti; quod falsum est; quare et prima.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod haec dictio ‘nisi’ potest teneri exceptive vel consecutive. Si consecutive, sic est vera, et est sensus “Nihil est verum nisi in hoc instanti”, id est si nihil est verum in hoc instanti, nihil est verum. Et tunc bene tenet probatio et primum argumentum improbationis, scilicet “Nihil est verum nisi in hoc

instanti; ergo te esse asinum non est verum nisi in hoc instanti”. Sed secunda consequentia, scilicet “Te esse asinum non est verum nisi in hoc instanti; ergo te esse asinum est verum in hoc instanti; ergo tu es asinus” non tenet, immo est argumentum peccans sine apparentia, sicut si arguatur “Si Sortes non est animal, Sortes non est homo; ergo Sortes est homo”.

Si teneatur exceptive, sic est falsa, et est sensus “Nihil est verum nisi in hoc instanti”, id est nihil est verum in alio instanti ab hoc instanti, et quilibet est verum in hoc <instanti>, sicut sequitur “Nullus homo videt asinum praeter Brunellum; ergo nullus homo videt asinum alium a Brunello, et quilibet homo videt Brunellum”. Et tunc bene tenet tota improbatio. Ad probationem respondendum per fallaciam consequentis a positione consequentis. Haec enim “Nihil est verum nisi in hoc instanti” aequipollet huic “Quilibet est verum in hoc instanti et nihil est verum in alio instanti”. Sic ergo non sequitur “Quidquid est verum <est verum> in hoc instanti; ergo quilibet est verum in hoc instanti et nihil in alio”. Immo bene e converso, ut patet. Propter quod est ibi fallacia consequentis vel melius fallacia secundum quid et simpliciter a veritate condicionata in hoc | quod est ‘quidquid’ ad veritatem absolutam in hoc quod est ‘quilibet’. Sicut igitur non sequitur “Quidquid currit movetur; ergo quilibet currit et quilibet movetur”, sic non sequitur “Quidquid est verum est verum in hoc instanti; ergo nihil est verum nisi in hoc instanti”, propter easdem causas.

Et notandum quod ibi fit exceptio non a subiecto, quod est ‘nihil’, sed ab hoc quod est ‘est verum’ in quantum est totum in modo respectu temporis, et hoc propter negationem praecedentem confundentem ipsum pro suis partibus universaliter.

Omne enim verbum habet naturam totius in modo respectu cuiuslibet adverbialis determinationis, propter quod, quando negatio praecedat ipsum pro suis partibus confundens, potest fieri exceptio ab ipso pro eis, ut “Nullus homo legit nisi Parisius”; sensus est enim: nullus homo legit in aliquo loco nisi Parisius. Sequitur enim bene “Nullus homo legit; ergo nullus homo legit Parisius”, per habitudinem totius ad partem.

Item quaeritur de hoc sophismate: NULLUS HOMO LEGIT PARISIUS NISI IPSE SIT ASINUS.

Probatio: eius contradictoria est falsa, haec scilicet “Aliquis homo legit Parisius, nisi ipse sit asinus”; quare prima est vera.

Contra: nullus homo legit Parisius nisi ipse sit asinus; ergo a positione consequentis, si homo legit Parisius, homo est asinus; quod falsum est; quare prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est falsa simpliciter, et tenetur li nisi consecutive solum, quoniam non facit partis extractionem a toto. Et est sensus “Nullus homo legit” etc., id est si homo non est asinus, nullus homo legit Parisius.

Ad probationem dicendum per interemptionem quod haec “Aliquis homo legit Parisius nisi ipse sit asinus” non contradicit primae, quoniam ambae sunt affirmativae. Prima enim est affirmativa, quia negatio negat consequens absolute, cum includitur cum distributione, et non in comparatione ad antecedens; quod esset necessarium ad sumendum contradictoriam conditionalis.

Si autem dicatur quod istae contradicunt “Aliquis homo legit Parisius nisi ipse sit asinus”, “Non aliquis homo legit Parisius nisi ipse sit asinus”, et haec “Non aliquis homo legit” etc., aequipollet huic “Nullus homo” etc., quare contradicunt “Nullus homo” etc., et “Aliquis homo” etc., dicendum secundum praedicta, capitulo ‘De negatione’, quod haec est duplex “Non aliquis homo” etc., eo quod illa negatio ‘non’ potest negare verbum consequentis secundum se et absolute, sic est falsa et affirmativa, et aequipollet huic “Nullus homo” etc., et non contradicit huic “Aliquis homo” etc., quoniam ambae sunt falsae; vel potest negare verbum consequentis in comparatione ad antecedens, et sic est vera et negativa contradicens huic “Aliquis homo” etc., et est sensus “Non aliquis homo” etc., id est non sequitur ad hominem non esse asinum aliquem hominem legere Parisius, quoniam antecedens est necessarium, consequens contingens, et sic non aequipollet primae, quoniam eius negatio negat consequens absolute.

<De dictionibus ‘necessario’, ‘contingenter’>

Sequitur de his dictionibus ‘necessario’, ‘contingenter’. Quae determinant compositionem inhaerentiae praedicati ad subiectum in quantum praedicatur. Unde ab ipsis propositio dicitur modalis.

De quibus sciendum est primo quod duplex est necessitas, et similiter contingentia. Est enim quaedam necessitas sive contingentia rerum; alia modi significandi sive | enuntiandi. Necessitas rerum est in ipsis rebus intellecta et significata, contingentia similiter. Et est duplex, quia quaedam est incomplexa, quae dicitur necessitas vel contingentia terminorum, secundum quod Deus et angelus dicuntur res necessariae et omnia caelestia, et omnia generabilia et corruptibilia dicuntur res contingentes; alia est quaedam necessitas sive contingentia propositio-

num, secundum quod haec propositio complexa dicitur secundum rem necessaria “Homo est animal”, et haec contingens “Homo currit”.

Necessitas modorum significandi est duplex, quia se habet ut dispositio et signum necessitatis ut res; quaedam enim est dispositio rei incomplexae per modum substantiae significatae, et significatur per hoc nomen: ‘necessarius, necessaria, necessarium’; alia est dispositio rei complexae per modum actus significatae, et significatur per hoc adverbium ‘necessario’. Et similiter intelligendum de ‘contingens’ et ‘contingenter’. Et ultimo modo de ‘necessario’ et ‘contingenter’ est hic intentio. Est autem «*‘necessarium’ idem quod non potens aliter se habere, sive quod non potens non esse*».

De necessitate autem ut modus, quae est compositionis determinatio in enuntiatione, sciendum quod circa compositionem inhaerentiae praedicati ad subiectum necessitatem denotat secundum differentiam temporis pro qua assignatur eorum inhaerentia. Unde non est verum quod dicunt quidam quod ‘necessario’ suppositionem termini ampliat pro suppositis diversorum temporum. Immo solum inhaerentiae praedicati ad subiectum necessitatem denotat pro eisdem suppositis respectu temporis pro quo ponebatur inhaerentia simpliciter. Unde omnis propositio vera cum hac dictione ‘necessario’, ipsa dempta, est vera.

Est autem duplex necessitas: quaedam absoluta, quaedam respectiva. Respectiva est illa quae solum circa compositionem inhaerentiae praedicati ad subiectum continuationem denotat sub conditione ad aliud. Et haec est in propositione condicionali, ut “Sortes necessario movetur, si currit”: Sortes, quando currit, necessario movetur. Et non dicitur respectiva, quia sit respectu alicuius praesentis, immo est respectu praesentis temporis simpliciter, sed quia est respectu alterius inhaerentiae.

Absoluta est illa quae sine respectu alterius est. Et harum quaedam est respectu alicuius differentiae temporis simpliciter, quae dicit continuationem rei in duratione essendi secundum omnes partes eius; alia est respectu alicuius differentiae temporis pro aliqua parte eius, et solum continuationem aut opportunitatem essendi respectu illius dicit, et dicitur necessitas secundum tempus.

Sicut enim hoc verbum ‘est’ aliquando copulat esse simpliciter, quod non ponit esse actuale secundum partem alicuius differentiae temporis, aliquando copulat esse secundum tempus, quod ponit esse actu secundum aliquam partem alicuius differentiae temporis; <secundum> quod solet dici de praesenti quod duplex est praesens, scilicet praesens confusum et praesens determinatum sive discretum.

Et quod huiusmodi esse dupliciter possit haberi, hoc significat ARISTOTELES in libro *Perihermenias* dicens enim *«bircocervus non significat verum vel falsum, nisi addatur 'esse' vel 'non esse', vel simpliciter vel secundum tempus»*.

Unde esse significatum per hoc verbum 'est' communiter se habet ad esse essentiae et ad esse actuale et ens secundum animam, per prius tamen dicitur de esse actuali.

Et propter hoc per se positum semper esse actuale copulat. Regula enim est quod, quando aliquid dicitur de duobus, de uno per prius, de alio per posterius, ipsum per se positum semper tenetur pro eo de quo per prius dicitur.

Secundum tamen diversitatem adiunctorum copulat esse diversa. Ut quando praedicatur illud quod est de intellectu | et essentia subiecti, copulat esse essentiae, quod est esse simpliciter, non esse actu, ut "Homo est animal". Sicut enim vox significans aliquam rem significat eius esse essentiae simpliciter et non esse eius actuale, sic illud quod est de essentia alicuius et de intellectu eius in quantum significatur per vocem enuntiatam de ipso, non enuntiat esse [huius] actuale de hoc, sed essentiae simpliciter. Et hoc accidit universaliter, quando praedicantur praedicata essentialia vel tamquam essentialiter accepta, ut "Rosa est pulcher flos". Quando vero praedicatur ens secundum animam, ut 'imaginabile', 'opinabile', tunc neque copulat esse simpliciter neque esse actuale, sed diminutum; quod appellatur ens secundum animam, ut "Chimaera est opinabilis". Quando vero praedicatur accidens commune, quod non est essentialia subiecto, ponit esse actuale, quia eius esse sive inesse ponit actuale subiecti existentiam, ut "Homo est albus".

Similiter 'necessario', cum dicat continuationem in duratione essendi sive opportunitatem, aliquando copulat necessitatem secundum aliquam differentiam temporis simpliciter, ut "Homo est animal necessario", aliquando secundum tempus ut secundum aliquam partem eius, ut "Aethiops est niger de necessitate". Haec enim solum ponit continuationem inhaerentiae praedicati cum subiecto supposita actuali subiecti existentia propter accidens commune, cuius esse est supposito actualiter existenti in esse.

Et utraque istarum necessitatum diversificatur secundum tres differentias temporis, quae sunt praesens, praeteritum, et futurum. Necessitas respectu praesentis simpliciter, ut "Homo est animal necessario"; respectu praeteriti simpliciter, ut "Sol necessario oriebatur"; respectu futuri, ut "Sol necessario orietur". Necessitas secundum tempus respectu praesentis, ut "Aethiops necessario est niger"; respectu praeteriti, ut "Caesar necessario moriebatur"; respectu futuri, ut "Sortes

necessario morietur”. Dicitur autem necessarium, non quia semper morietur, sed quia respectu alicuius futuri habet opportunitatem moriendi, non quia habeat continuationem huius dispositionis respectu cuiuslibet futuri.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: SI SORTES NECESSARIO EST MORTALIS, SORTES NECESSARIO EST IMMORTALIS.

Probatio: si Sortes necessario est mortalis, Sortes necessario est aliqualis; sed si Sortes necessario est aliqualis, Sortes necessario est; et si Sortes necessario est, Sortes necessario est immortalis. Ergo a primo ad ultimum: si Sortes necessario est mortalis, Sortes necessario est immortalis.

Contra: hic sequitur oppositum ad suum oppositum; ergo locutio est falsa et impossibilis.

Solutio: dicendum quod prima est duplex. Cum enim hoc quod est ‘mortalis’ dicat aptitudinem ad moriendum, li necessario potest dicere continuationem indeficientem aptitudinis ad moriendum in subiecto respectu praesentis simpliciter, et ita dicere necessitatem simpliciter; sic condicionalis est vera, sed antecedens falsum. Et est sensus “Si Sortes” etc., id est si Sortes indeficientem sive incessantem habet aptitudinem ad moriendum, Sortes necessario est immortalis. Et non sequitur oppositum ad oppositum, sed pars ad totum, quia antecedens includit in se opposita, scilicet Sortem esse immortalem per li necessario, quod dicit ei mortalitatem inhaerere | perpetue, et Sortem esse mortalem per ipsum praedicatum. Unde regula est: quandocumque in aliquo antecedente includuntur duo contradictorie opposita, utrumque potest sequi ipsum, ut “Si Sortes currit et non currit; ergo Sortes currit; ergo Sortes non currit”. Vel li necessario potest dicere opportunitatem aptitudinis moriendi in subiecto ad ipsum actum moriendi, et ita dicere necessitatem secundum tempus; sic antecedens est verum, et condicionalis est falsa, quia sequitur oppositum ad oppositum. Et est sensus “Si Sortes necessario” etc., id est si Sortes habet in se opportunitatem seu inevitabilitatem moriendi, Sortes necessario est immortalis.

Item quaeritur de hoc sophismate: OMNIS HOMO DE NECESSITATE EST ANIMAL.

Probatio: “Omnis homo est animal”, haec est vera et fuit vera et semper erit vera; ergo modificata modo necessitatis est vera; quare prima est vera.

Contra: omnis homo de necessitate est animal; Sortes est homo; ergo Sortes de necessitate est animal. Et si Sortes de necessitate est animal, Sortes de necessitate est. Sed haec est falsa; quare et prima ex qua sequitur.

Solutio: dicendum quod prima est vera. Ad improbationem respondendum est dicendo quod peccat per fallaciam secundum quid et simpliciter. Cum enim dicitur “Sortes de necessitate est”, ibi copulatur esse actuale. Sed cum dicitur “Sortes de necessitate est animal”, ibi copulatur esse habituale sive esse essenziale, quod est esse secundum quid respectu esse actualis.

Item quaeritur de hoc sophismate: OMNIS ANIMA NECESSARIO EST IUSTA, posito quod sint tres animae necessario iustae et cras nascatur quarta, quae non sit necessario iusta; inde sic: “Omnis anima necessario est iusta”.

Probatio: haec anima necessario est iusta, illa, et sic de tertia, quia non sunt plures; illa enim quae erit cras nondum est; ergo omnis anima necessario est iusta.

Contra: omnis anima necessario est iusta; ergo omnem animam esse iustam est necessarium; quod falsum est, quoniam cras erit falsum omnem animam esse iustam; quare prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est vera simpliciter, quoniam subiectum virtute praedicati accidentalis restringitur ad supponendum pro his solum quae sunt actu sub eo, quia per ipsum verbum virtute praedicati accidentalis copulatur solum esse actuale; et pro illis propositio non potest esse falsa secundum positionem. Ad improbationem respondendum <est> dicendo quod haec “Omnem animam esse iustam est necessarium” est duplex ex eo quod potest esse de re vel de dicto. Si autem sit de dicto, sic totum dictum subicitur et modus praedicatur de ipso tamquam qualitas compositionis extremorum dicti; et sic est falsa. Et est sensus “Omnem animam” etc., id est hoc dictum ‘omnem animam esse iustam’ est necessarium, quoniam tunc li animam non restringitur ad supposita actualiter sub eo contenta propter praesens infinitum et confusum copulatum per compositionem in infinitivo cui supponit. Et quod infinitivus copulat praesens confusum et non ut nunc, patet, quoniam indifferenter se habet ad quodlibet tempus. Bene enim dicitur: “Sortem currere est bonum”, “Sortem currere fuit bonum”, “Sortem currere erit bonum”. Et hoc per illam regulam: termini in appellatione | dicti positi cadunt in sua suppositione accidentali. Si autem sit de re, sic subiectum dicti positi subicitur et modus cum sua compositione ponitur tamquam compositio media inhaerentiae praedicati dicti cum subiecto, ut sit talis ordinatio: omnem animam est necesse esse iustam; et sic est vera. Et est sensus: esse iustum necessario inest omni animae, quoniam tunc li animam restringitur ad supposita actualiter contenta sub eo propter compositionem de praesenti cui supponit, non tamquam principali compositioni sed tamquam disposi-

tioni cum illo quod ei additur circa principalem compositionem inhaerentiae praedicati cum subiecto; propter quod illorum ordinatio non causat incongruitatem. Et hoc modo sequitur ex prima, et potest probari per supposita sicut prima. Et non primo modo, immo est fallacia figurae dictionis a determinata suppositione ad confusam circa tempus praesens vel a minore distributione ad maiorem <...> fallaciam consequentis. Et primo modo dicitur ‘necessarium’ esse determinatio compositionis quae est forma totius; secundo modo quae est forma partis.

Et ex his sumitur regula generalis quae talis est: quandocumque ‘necessarium’ vel aliquis modus faciens propositionem modalem additur alicui dicto, duplex est locutio ex eo quod potest esse de re vel de dicto, sive enuntiatio vel propositio, sive quod modus possit determinare compositionem in dicto in quantum est forma partis vel forma totius; quod idem est.

Item quaeritur de hoc sophismate: ANIMA ANTICHRISTI NECESSARIO ERIT, posito quod Antichristus aliquando erit homo, sed contingenter ita quod poterit non fore; inde sic: anima Antichristi necessario erit.

Probatio: anima Antichristi aliquando erit, et quando erit, necessario erit. Ergo anima Antichristi necessario erit.

Contra: anima Antichristi necessario erit; ergo animam Antichristi fore est necessarium; quod falsum est, quoniam Antichristum fore est contingens; quare et eius animam.

Solutio: dicendum quod prima simpliciter est falsa. Et in probatione est fallacia secundum quid et simpliciter, a necessitate respectiva ad necessitatem absolutam, sicut non sequitur “Sortes dum sedet, necessario sedet; ergo Sortes necessario sedet”.

Sed nota quod ‘necessario’, cum sit determinatio adverbialis respondens compositioni verbi, non dicitur determinare praedicatum ratione rei praedicatae, sed ratione compositionis verbalis, quae a parte praedicati se tenet.

Et secundum hoc datur quaedam regula de istis dictionibus ‘necessario’, ‘contingenter’, quod, quando ponuntur in consequente alicuius condicionalis, duplex est locutio eo quod possunt determinare consequens absolute vel in comparatione ad antecedens, sive quod potest esse determinatio, vel dicere necessitatem, consequentiae vel consequentis. Ut “Si Sortes currit, necessario movetur”. Si li necessario sit determinatio consequentis in comparatione ad antecedens, sive dicat necessitatem consequentiae vel consequendi, sic est vera. Et est sensus scilicet: si Sortes currit, necessario sequitur quod movetur. Si autem dicat necessitatem consequentis absolute, sic est falsa. Et est sensus: si

Sortes currit, haec propositio est necessaria “Sortes movetur”. Et primo modo necessitas includit condicionem, alio modo condicio necessitatem.

Et secundum hoc datur alia regula: quotienscumque huiusmodi dictiones ‘necessario’, ‘contingenter’ ponuntur in aliqua oratione cum | alio syncategoremate, duplex est locutio ex eo quod unum illorum potest includere reliquum vel e converso, ut “Omnis numerus est necessario par vel impar”, “Sortes currit et non currit contingenter”; et huius sensus plani sunt.

Circa hanc dictionem ‘contingenter’ notandum quod ‘contingens’ tribus modis dicitur. Primo modo dicitur ‘contingens’ idem quod ‘necessarium’, secundum quod dicitur quod hominem esse animal est contingens, quia necessarium est esse. Alio modo dicitur quod opponitur necessario, quod definitur sic: contingens est illud quod potest esse et non esse; et dicitur ‘contingens ad utrumlibet’ eo quod non est necessarium esse vel non esse. Tertio modo dicitur ‘contingens’ quod idem est cum possibili, et est commune praedicabile de contingenti, necessario, et non necessario, sicut possibile, secundum quod probat ARISTOTELES in fine Perihermenias, quod ad «*necessarium esse sequitur esse possibile*» tamquam <ad> partem universale, quod indifferenter se habet ad possibile quod solum se habet ad esse vel solum ad non esse, sicut necessarium, et ad possibile quod indifferenter potest esse et non esse, sicut contingens ad utrumlibet.

Item contingens ad utrumlibet, quod opponitur necessario, tribus modis dicitur, quia quoddam dicitur contingens natum, et definitur sic: contingens natum est illud quod magis se habet ad esse quam ad non esse, ut hominem canescere in senectute. Et illud contingens secundum ARISTOTELEM «*plerumque deficit a necessario*»; nam cum homo est, scilicet in senectute, aut ex necessitate aut in pluribus, est scilicet canescens. Aliud dicitur contingens raro et in paucioribus, quod magis se habet ad non esse quam ad esse, ut hominem non canescere in senectute. Aliud dicitur esse contingens infinitum, quod non magis se habet ad esse quam ad non esse, et hoc dupliciter, quoniam quoddam dicitur infinitum absolutum, ut hominem ambulare, quoddam dicitur respectivum, ut aliquo ambulante fieri terrae motum; et illud contingens est a casu et a fortuna.

Item notandum quod aliquid potest dici contingere alicui ad utrumlibet dupliciter. Aut se ipso permanente potest ipsum illi inesse vel non inesse, secundum quod esse album dicitur contingere Sorti, quoniam Sorte existente ipse potest esse albus et non albus, scilicet niger. Alio modo dicitur aliquid contingere alteri quod necessario inest ipsi

ipso existente in actu, poterit tamen ei non inesse secundum quod ipsum poterit non esse in actu, secundum quod nigrum dicitur contingere Aethiopi eo quod non sit niger, cum non sit in actu; et ita, sicut poterit non esse, poterit non esse niger, ipso tamen existente de necessitate est niger.

Et contingenti primo modo opponitur necessarium secundum tempus, secundum quod dicit ARISTOTELES: «*Hominem augeri aut minui non continuum habet necessarium eo quod non semper homo est, sed cum est homo, illud necessario est*». Contingenti vero secundo modo opponitur necessarium simpliciter, quod dicit incessantem inhaerentiam praedicati ad subiectum simpliciter non habendo respectum ad aliquod esse actuale secundum aliquam differentiam temporis. Dicunt tamen | quidam quod necessarium primo modo dicit necessitatem ordinis terminorum supposita actuali eorum existentia; secundo modo dicit necessitatem non solum ordinis terminorum, sed actualis existentiae eorundem. Et secundum hoc solvitur hoc sophisma: OMNIS HOMO DE NECESSITATE EST ANIMAL.

Item regula est: quodcumque hoc verbum ‘contingit’ ponitur in aliqua oratione, duplex est locutio ex eo quod potest dicere contingentiam praedicati et non subiecti, vel contingentia utriusque. Ut “Omne animal contingit currere”. Si dicat contingentiam praedicati solum, sic non ampliatur terminus supponens, sed solum supponit pro eis quae sunt actualiter sub ipso. Et tunc est sensus illius: omne quod est animal contingit currere. Si vero dicat contingentiam utriusque, sic ampliatur suppositio termini supponentis ad illa quae contingunt esse sub ipso. Et tunc est sensus illius: omne quod contingit esse animal contingit currere. Et sic fit reduplicatio contingentiae ad subiectum. Et hoc dicit ARISTOTELES in I^o P^{ri}o^rum quod hanc “Omne *b* contingit esse *a*” et est dupliciter accipere: aut quia omne illud quod est *b* contingit esse *a*, aut quia omne quod contingit esse *b* contingit esse *a*.

<De dictionibus ‘incipit’, ‘desinit’>

Sequitur de istis dictionibus ‘incipit’, ‘desinit’. Quae dicuntur dictiones syncategorematicae, quia in earum expositione dictiones syncategorematicae intelliguntur, sive quia earum significatio variatur ab adiunctis. Secundum enim quod rebus successivis vel permanentibus adiunguntur, diversimode exponuntur, et sic dependet ab illis earum significatio.

Dicuntur autem res ‘permanentes’ quarum esse est totum simul secundum omnes partes eius, ut sunt homo, lapis, lignum. Res autem ‘successivae’ dicuntur quarum esse non est totum simul secundum omnes eius partes sed solum in suarum partium successione, ut sunt motus et tempus. Unde quia huiusmodi verba ‘incipit’, ‘desinit’ significant inceptions vel desitiones rerum, quae sunt mutationes vel esse vel non esse rerum in suis terminis initialibus vel finalibus ut <in> instanti quod est inter rerum esse et non esse — ‘incipit’ enim significat mutationem quae est initium esse vel non esse rei; ‘desinit’ vero significat mutationem quae est finis esse vel non esse rei; et ista consequuntur se mutuo ad invicem; quod enim incipit esse desinit non esse, et e converso, quia quod est initium esse est finis non esse, et e converso; et sunt ambo in eodem instanti indivisibili, ut si aliquis transeat ab albedine in nigredinem, in eodem instanti in quo incipit esse niger, desinit esse albus sive non niger, et in illo primo est niger et non albus; secundum enim ARISTOTELEM in permanentibus est accipere primum instans esse vel non esse rei sed non ultimum; in successivis vero nec primum nec ultimum; permanentia enim in suo initio habent esse, in suo termino non esse; successiva vero nec primum habent nec ultimum esse sui generis; principium enim temporis non est tempus, neque finis eius, sed instans, neque motus principium esse aut finis est motus sed mutatio; nec habent esse in suo initio nec in suo | termino — cum igitur primum et ultimum diversimode sunt in successivis et permanentibus, et huiusmodi verba ‘incipit’, ‘desinit’ habent significationem supra primum et ultimum esse vel non esse in rebus, sequitur quod secundum hoc huiusmodi verba diversimode debent exponi in successivis et permanentibus.

Sed quia ‘desinit’ significat mutationem in termino esse vel non esse rei, successiva autem, ut dictum est, in termino non differunt a permanentibus — terminus enim esse in utrisque est non esse et e converso —, propter hoc ‘desinit’ habet exponi eodem modo in utrisque, scilicet per privationem praesentis cum positione praeteriti. Ut “Desinit esse albus” idem est quod “Nunc primo non est albus”; unde privo praesens et derelinquo positionem in praeterito; est enim sensus: nunc non est albus, sed prius fuit albus. Similiter “Motus desinit esse” idem est quod “Motus nunc primo non est”, id est nunc non est, sed prius fuit.

Sciendum tamen quod secundum quosdam ‘desinit’ exponitur cum permanentibus per positionem praesentis et privationem futuri; sic “Sortes desinit esse albus” idem est quod “Sortes nunc ultimo est albus”, id est Sortes est albus et post hoc tempus non erit albus. Sed ista

expositio est secundum quod ‘desinit’ dicit desitionem, non quae est mutatio in instanti, sed quae est motus finalis ab albedine in tempore ultimo in quo est albus aut in quo incipit esse sub alia qualitate.

Sed quia successiva penes initia differunt a permanentibus — permanentia enim in suo initio sunt, successiva vero non sunt — propter hoc ‘incipit’, cum significat mutationem initio esse vel non esse, differenter habet exponi cum permanentibus et successivis. Cum permanentibus scilicet per positionem praesentis et privationem praeteriti. Sic “Incipit esse albus” idem est quod “Nunc primo est albus”, per quod nego totum praeteritum et pono praesens. Est enim sensus: nunc est albus et prius non fuit albus. ‘Incipit’ vero cum successivis habet exponi per privationem praesentis et positionem futuri. Sic “Motus incipit esse” idem est quod “Nunc motus ultimo non est”, per quod privo praesens et pono futurum. Est enim sensus: motus nunc non est et post hoc erit ratione dictionis ‘ultimo’. Si autem ‘incipit’ dicat inceptionem quae est motus, sic habet exponi in successivis sicut in permanentibus, sic “Motus incipit esse”, id est motus nunc primo est et prius non fuit.

Sic igitur patet quod haec verba ‘incipit’, ‘desinit’ per suum significatum dant intelligere diversa tempora verborum. Sciendum tamen quod semper per prius dant intelligere praesens quam praeteritum vel futurum, ut patet in earum expositione, in qua cadit praesens principaliter et praeteritum et futurum ex consequenti per aliquod intellectum circa praesens.

Unde sequitur regula prima de istis verbis ‘incipit’ ‘desinit’ quod termini ipsis adiuncti geminam suppositionem habent: unam pro praesenti primo et principaliter, aliam ex consequenti pro praeteritis vel futuris secundum exigentiam expositionis verbi.

Posito enim quod Sortes modo sit albus et prius non fuit albus | sed niger, haec est falsa “Sortes incipit esse coloratus”. Esset tamen vera, si iste terminus ‘coloratus’ solum supponeret pro colore qui est; haec enim est vera “Sortes incipit esse coloratus colore qui est”, quoniam verum est quod incipit esse albus; quare ille terminus ‘coloratus’ non restringitur ad supponendum pro colore qui est solum, sed ampliatum ad supponendum pro colore qui est et qui fuit.

Unde datur regula secunda quod non valet argumentum ab inferiori ad superius, neque e converso, cum istis dictionibus ‘incipit’, ‘desinit’. Et hoc est propter affirmationem et negationem quam important in sua expositione. Gratia enim affirmationis non valet a superiori ad inferius, gratia negationis non valet e converso. Propter quod haec regula tenet tantum in terminis huiusmodi verbis appositionis quae

sub virtute negationis includuntur et non a parte subiecti. Bene enim sequitur “Album incipit esse Sortes, ergo coloratum incipit esse Sortes”, cum ambo habeant suppositionem personalem.

Sciendum tamen quod cum termino substantiali ab inferiori ad superius cum istis verbis bene tenet argumentum, ut hic “Incipit esse homo, ergo incipit esse animal”, quoniam in formis substantialibus non potest fieri transmutatio circa subiectum secundum speciem manente forma generis sicut in accidentalibus, et hoc nisi per aliam negationem impediatur, ut hic “Non incipit esse homo, ergo non incipit esse animal”.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: SORTES DESINIT ESSE ALBISSIMUS HOMINUM, posito quod sit albissimus hominum qui nunc sunt et erit semper, sed post hoc nascatur albior eo.

Probatio primae: Sortes est albissimus hominum, et de cetero non erit albissimus hominum; ergo Sortes desinit esse albissimus hominum.

Contra: Sortes desinit etc., aut ergo hominum qui sunt aut qui non sunt; quorum utrumque est falsum; quare prima est falsa. Non desinit esse albissimus hominum qui sunt, quia semper est albissimus eorum qui sunt secundum positionem; non hominum qui non sunt, quia non est albissimus eorum, cum non sit de numero eorum.

Solutio: dicendum quod prima est vera, ut probatur. Ad improbationem respondendum per fallaciam consequentis a superiori ad inferius cum hoc verbo ‘desinit’, quia in prima iste terminus ‘albissimus hominum’ supponit primo pro eis qui sunt, secundo vero pro eis qui non sunt sed erunt. In conclusione vero per implicationes supponit solum pro eis qui sunt vel solum pro eis qui non sunt quoad utrumque tempus. Et secundum hoc potest ibi assignari fallacia figurae dictionis a simplici suppositione ad personalem, vel ab ampliata ad restrictam.

Item posito quod Sortes sit in paenultimo instanti vitae suae, quaeritur de hoc sophismate: SORTES DESINIT ESSE NON DESINENDO ESSE.

Probatio: Sortes est non desinendo esse, et de cetero non erit non desinendo esse; ergo prima est vera.

Contra: Sortes desinit etc., ergo Sortes desinit esse, cum non desinit esse, vel si non desinit esse, vel quia non desinit esse. Gerundivum enim habet resolvi per ‘dum’ vel per ‘si’ vel per ‘quia’, sicut ablativus absolute positus. Sed unumquodque illorum est falsum; ergo prima falsa.

Solutio: dicendum quod prima est vera. Et in improbatione | est fallacia consequentis a superiori ad inferius cum hoc verbo ‘desinit’, quia in prima hoc verbum gerundivum ‘desinendo’ quantum ad primam eius

suppositionem dicit privationem desitionis in praesenti, quantum ad secundam ex consequenti dicit privationem desitionis in futuro, in conclusione vero sumptum pro eo dicit privationem desitionis in praesenti. Et ita fit processus a magis communi ad minus commune affirmando.

Aliter potest dici quod prima est duplex ex eo quod haec determinatio 'non desinendo esse' potest determinare hoc verbum 'desinit' vel hoc verbum 'esse'. Si determinet hoc verbum 'desinit', sic est falsa, quoniam *«opposita ponuntur simul circa idem»*: desitio et privatio desitionis, ut improbat. Si vero determinat hoc verbum 'esse', sic est vera, ut probatur. Et est sensus quod Sortes desinit esse non desinendo esse, id est esse indeficiens vel esse sine desitione. Unde licet non desinat esse simpliciter, desinit esse et nunc tale, scilicet esse indeficiens vel sine desitione, quia usque modo habuit esse indeficiens sive sine desitione, et de cetero non habebit tale esse, immo habebit esse deficiens et cum desitione. Et primo modo est composita et falsa, secundo modo divisa et vera. Et sic est ibi fallacia compositionis.

Et nota quod ista duo sophismata fundantur supra expositionem de 'desinit' in quantum dicit desitionem quae est motus in tempore. Et similiter illa duo sequentia.

Item regula est: quotienscumque huiusmodi verba 'incipit' et 'desinit' ponuntur in aliqua oratione cum alio syncategoremate, duplex est locutio ex eo quod potest iudicari per unum vel per reliquum.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: SORTES DESINIT SCIRE QUIDQUID IPSE SCIT, posito quod sciat tria essentialia et desinat scire unum illorum.

Probatio primae: Sortes scit quidquid scit, et de cetero non sciet quidquid ipse scit; ergo prima est vera.

Contra: Sortes desinit scire quidquid ipse scit et scit tria essentialia; ergo tria essentialia desinit scire; quod falsum est; quare et prima.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari per hoc verbum 'desinit', et sic negatio intellecta in ipso cadit supra distributionem et facit ipsum immobilem teneri particulariter, et sic est vera, ut probatur. Vel potest iudicari per distributionem, et sic dicta negatio sequitur ipsam, et sic manet mobilis, et sic fit negatio scire pro quolibet eius supposito in distributione, et sic est falsa, ut improbat. Sensus patent in expositione.

Item regula est: quotienscumque huiusmodi verba adduntur termino accidentali habenti in se suppositum et accidens, sive formam substantialem et accidentalem, duplex est locutio ex eo quod potest denotari inceptio vel desitio respectu unius vel alterius.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: sit ita quod Sortes fuit prius et Plato incipiat esse; inde sic: SORTES INCIPIT ESSE ALTER ISTORUM.

Probatio: Sortes est alter istorum, et ante hoc instans non fuit alter istorum; ergo incipit esse alter istorum.

Contra: Sortes incipit esse alter istorum; ergo incipit esse Sortes vel Plato, quia nihil est alter istorum nisi Sortes vel Plato. Sed illud falsum est,| quia non incipit esse Sortes, quia prius fuit Sortes, nec incipit esse Plato, quia nec est nec erit Plato; quare prima est falsa.

Solutio: dicendum quod, cum in hoc termino ‘alter’ duo sunt, scilicet suppositum ut sunt illa in quibus est alteritas, et accidens quod est alteritas, locutio est duplex ex eo quod potest denotari fieri inceptio respectu huius quod est ‘esse alter’ quantum ad suppositum vel quantum ad accidens. Si quantum ad suppositum, sic est falsa, ut improbat. Et est sensus “Sortes incipit esse alter istorum”, id est incipit esse Sortes vel Plato. Si quantum ad accidens, sic est vera, ut probatur. Et est sensus “Sortes incipit esse alter istorum”, id est Sortes incipit esse sub alteritate istorum, sub qua ante non fuit. Et hoc modo est ibi fallacia accidentis in improbatione; primo modo in probatione.

Et universaliter in qualibet distinctione bona solvente sophisma in sensu in quo valet probatio, peccat improbatio et e converso; et semper verum est in uno sensu et falsum in alio.

<De coniunctionibus disiunctivis>

<De dictione ‘an’>

Sequitur de hac dictione ‘an’, quae in oratione disiunctionem sub modo interrogandi exercet; et secundum hoc variatur eius significatio et ponitur sub diversis speciebus coniunctionum. Secundum autem quod exercet disiunctionem, est sub specie coniunctionum disiunct<iv>arum, et significat unionem aliquorum inter se cum discrepantia respectu tertii, sicut omnis disiunctiva coniunctio.

Coniunctio enim disiunctiva coniungit inter se illa inter quae ponitur, et ponit simul esse, sed non ponit simul esse respectu tertii. Et hoc est quod dicit BOETHIUS quod hoc sapit coniunctio disiunctiva quod ea inter quae disiungit simul esse non permittit.

Secundum autem quod interrogationem exercet, tunc solum quaerit de compositione sive de inhaerentia actus cum substantia sive praedicati cum subiecto. Cum interrogativum in generali et infinite

significat illud de quo quaerit, significat infinite et in generali inhaerentiam actus cum substantia cum modo dubitationis.

Sed notandum quod per prius est disiunctiva quam interrogativa, quia semper disiungit, sed non semper interrogat. Aliquando enim ponitur disiunctive tantum, ut “Bene scio an Plato currat an non”. Et exigitur veritas alterius partis disiunctivae determinate.

De hac dictione ‘an’ talis datur regula, quod quotienscumque ponitur semel in oratione, solum disiungit inter contradictorie opposita; quando vero bis ponitur, inter inventa.

Et causa est horum quia in omni interrogatione derelinquitur et supponitur aliquid in universali de quo quaeritur in speciali, ut quando quaeritur “Quis disputat?”, supponitur aliquem disputare, de quo quaeritur certificari in speciali. Quare in hac interrogatione “Scis tu an Sortes currat?” supponitur aliquid commune ad illud quod quaeritur. Sed non quaeritur nisi de altera parte contradictionis indeterminate de qua aliquis vult certificari, quia de illa dubitatur. Quare supponitur per interrogationem aliquid commune ad illam; sed nihil est commune universale ad partem contradictionis nisi totum disiunctum ad ambas partes contradictionis; quare supponitur ibi disiunctio | inter partes contradictionis. Sed hoc non est nisi per hanc coniunctionem ‘an’; quare ‘an’, cum semel ponitur, disiungit inter contradictorie opposita. Et ideo haec dictio ‘an’, quia simul interrogativa et disiunctiva, ratione interrogationis adiunctae disiunctioni, quando uni parti contradictionis adiungitur, dat intelligere alteram, quia qui interrogando dubitat de uno oppositorum, dubitat et de reliquo. Sed quando bis ponitur, non requirit alia extrema quam posita, propter quod solum disiungit inter inventa.

Sed notandum quod prima regula generaliter vera est, quando ‘an’ praeponitur termino cui adiungitur. Cum enim postponitur termino communi, determinato vero signo universali, disiungit solum inter contraria; determinato vero signo particulari, vel posito sine signo, inter subcontrarie opposita. Omnibus aliis modis disiungit inter contradictoria. Est enim sensus “Tu scis an omnis homo currat”, id est tu scis omnem hominem currere vel non omnem hominem currere. Huius autem “Tu scis omnis homo an currat”, id est tu scis omnem hominem currere vel omnem hominem non currere. Similiter huius “Tu scis an aliquis homo currat” sensus est: tu scis aliquem hominem currere vel non aliquem hominem currere. Huius autem “Tu scis aliquis homo an currat” sensus est: tu scis aliquem hominem currere vel aliquem hominem non currere. In termino vero discreto non differt sive praeponatur sive postponatur. Et causa istorum est virtus negationis intellectae in hac dictione ‘an’ mediante natura disiunctionis.

Unde datur alia regula quod sicut non valet argumentum a negatione praeposito signo universalis vel particulari ad ipsam postpositam, similiter non valet argumentum ab hac dictione ‘an’ praeposita signo universalis vel particulari ad ipsam postpositam.

Exempla omnia plana sunt. Et propter hoc dicitur quod cum hac dictione ‘an’ eodem modo valet argumentum ab inferiori ad superius et e converso, sicut cum negatione, et non aliter.

Item datur alia regula quod ab uno oppositorum ad alterum non valet argumentum cum hac dictione ‘an’. Non enim sequitur “Tu scis an omnis homo Aethiops sit albus; ergo tu scis an Aethiops omnis sit niger”. Similiter autem non sequitur “Tu scis aliquis homo an sit videns, ergo tu scis aliquis homo an sit caecus”, posito quod aliquem hominem scivisti esse caecum. Immo est ibi fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam. Prima enim potest esse vera, sive iste homo sit sive non sit; secunda vero solum vera ipso existente.

Et notandum quod hae dictiones ‘an’, ‘ne’, ‘utrum’ conveniunt in hoc quod omnes interrogant de compositione actus cum substantia, sed in hoc differunt quod haec dictio ‘ne’ magis se tenet cum actu, ‘an’ vero et ‘utrum’ magis cum substantia. Unde ‘ne’ quaerit de compositione proprie in quantum est forma partis magis et habet naturam actus, ‘an’ vero et ‘utrum’ in quantum est forma totius et habet modum substantiae. Cuius signum est quod illud de quo quaerit ‘ne’ non potest supra se recipere transitum alterius actus, illud vero de quo quaerunt ‘an’ et ‘utrum’ potest. Causa est quod actus non transit nisi supra substantiam vel habens modum substantiae. Unde nihil est dictu “Tu vides ne currit Sortes?” sed “Videsne Sortem currere?” Bene tamen dicitur “Tu vides an vel utrum Sortes currat”. Alia differentia est quod ‘ne’ semper tenetur interrogative, ‘an’ et ‘utrum’ aliquando tantum disiunctive, ut dictum est de ‘an’. ‘An’ vero et ‘utrum’ differunt, quoniam ‘utrum’ numquam geminatur per se, sed per aliam coniunctionem disiunctivam, ut “Tu scis utrum Sortes currat vel utrum Plato”, ‘an’ vero per se potest geminari.

Secundum praedicta quaeritur de hoc sophismate: TU SCIS AN OMNIS HOMO SIT SORTES AN DIFFERAT A SORTE.

Probatio: tu scis Sortes an sit Sortes an differat a Sorte, quia tu scis Sortem esse Sortem; tu scis Plato an sit Sortes an | differat a Sorte, quia tu scis Platonem differre a Sorte, et sic de singulis; ergo prima est vera.

Contra: tu scis omnis homo etc.; ergo tu scis omnem hominem esse Sortem vel omnem hominem differre a Sorte, quoniam <‘an’> bis

ponitur, quare disiungit inter inventa; sed utrumque illorum est falsum; ergo prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est falsa, ut improbatur. Probatio peccat per fallaciam consequentis ab insufficienti, quia in hac “Tu scis omnis homo an sit Sortes an differat a Sorte” duae sunt distributiones ut in una parte disiunctionis una et in alia <altera>. Unde sensus est: tu scis omnis homo an sit Sortes an omnis homo differat a Sorte. Quare ad eius probationem oporteret assumere omnes partes utriusque distributionis, non solum reddendo singula singulis, sed quamlibet cuilibet. Unde praeter omnes quas sumit deberet sumere istas “Tu scis an Sortes sit Sortes, an omnis homo differat a Sorte”, “Tu scis an Plato sit Sortes, an omnis homo differat a Sorte”, et sic de singulis. Et omnes huiusmodi disiunctivae fere erunt falsae pro utraque parte. Et sic deberet sumere omnes partes distributionis secunda distributione permanente integra; et e converso, ut “Tu scis an omnis homo sit Sortes, an Plato differat a Sorte”, et sic de singulis; et una istarum est falsa.

Et alio modo deberet sumere partes, scilicet accipiendo omnes partes unius cum singulis partibus alterius, ut “Tu scis an Plato sit Sortes, an differat a Sorte”, et sic de aliis. Sed omnium illorum modorum solum accipit partes distributionis primae cum partibus secundae, reddendo singula singulis uniformiter pro eisdem pro quibus semper est veritas pro altera parte disiunctionis, et omnes alios modos accipiendi partes omittit, secundum quos tamen oporteret probari distributiones, pro quibus est falsitas secundum aliquid vel secundum ambas partes disiunctionis, ut patens est. Et ideo procedit ab insufficienti et peccat secundum consequens.

Item posito quod Sortes vel Plato mentiatur, sed tu nescis uter illorum mentiatur, quaeritur de hoc sophismate: TU SCIS AN DE MENTIEN-
TIEN-TE SIT FALSUM SORTEM ESSE ILLUM.

Probatio: “Tu scis non de mentiente esse falsum Sortem esse illum” verum est utroque casu contingente, sive Sortes mentiatur sive Plato; ergo prima est vera.

Consequentia patet, quia haec est altera pars disiunctivae intellectae in propositione prima, quia haec coniunctio ‘an’ semel posita disiungit inter contradictoria. Est enim sensus primae: tu scis de mentiente falsum esse Sortem esse illum vel non de mentiente falsum esse Sortem esse illum. Sed huius altera pars est probans primam, quae vera est; quare et tota disiunctiva est vera; quare et prima quam exponit. Et est simile argumentum: tu scis Sortem non currere, ergo tu scis an Sortes currat. Quod autem illa “Tu scis non de mentiente” etc., quolibet casu contingente est vera, probatio: si enim mentiatur Sortes, vera est,

quia sensus est: non de mentiente est falsum Sortem esse illum, id est Sortem esse mentientem, quoniam est verum de Sorte. Item Platone mentiente, vera est, quia est sensus: non de mentiente, id est de Platone, est falsum Sortem esse illum, id est mentientem sive Platonem; immo est falsum de Sorte. | Licet enim sit falsum Sortem esse mentientem, non tamen est falsum de Platone, sed de Sorte, quia enuntiabile neque est verum neque est falsum nisi de illo quod est subiectum in ipso; quare cum in hoc enuntiabili ‘Sortem esse illum’ non est subiectum Plato sed Sortes, non est falsum de Platone, sive de mentiente, sed solum de Sorte, licet sit falsum.

Contra: tu scis an de mentiente sit falsum Sortem esse illum; ergo tu scis an de mentiente sit verum Sortem esse illum. Et hoc argumentum videtur teneri per locum a pari, quoniam *«eadem est scientia oppositorum»*. Sed haec est falsa, quoniam exponitur per disiunctivam cuius utroque casu contingente utraque pars falsa est, quae est “Tu scis de mentiente esse verum Sortem esse illum vel non esse verum Sortem esse illum”. Quod autem haec utroque casu contingente sit falsa, patet, quia uno contingente, ut quod Sortes mentiatur, disiunctiva potest esse vera in se pro altera parte, aut alio contingente, ut quod Plato mentiatur, est falsa pro utraque, ut patet secundum praedicta. Sed regula est in occulta positione quod si aliqua propositio est occulta in veritate et falsitate, ita quod uno casu contingente potest esse vera et altero falsa, est dubia. Quare haec est falsa “Tu scis de mentiente esse verum Sortem esse illum”, cum sit dubia, quia uno casu contingente potest esse vera et altero falsa. Et sic eius opposita est dubia, quia qui dubitat unum oppositorum, et reliquum; quare et tota disiunctiva erit in se dubia; quare et falsa, cum ponit ipsam esse scitam; quare et prima falsa, ex qua sequitur.

Solutio: dicendum quod prima est vera. Ad improbationem dicendum quod peccat per fallaciam consequentis a duplici causa veritatis ad unam secundum praedictam regulam. Quod patet, quoniam haec propositio “Tu scis an de mentiente sit falsum” etc., habet in suo intellectu hanc propositionem “Tu scis quod de mentiente est falsum Sortem esse illum” sive eius oppositum “Tu scis quod de mentiente non est falsum Sortem esse illum”, quod, secundum quod li mentiente supponit pro Platone, habet duplicem causam veritatis, scilicet vel quia hoc enuntiabile ‘Sortem esse illum’ non est verum neque falsum de Platone sed de alio, vel quia non est falsum de Platone sed verum. Sicut ergo non sequitur “Hoc enuntiabile ‘Sortem esse illum’ de Platone non est falsum; ergo de Platone est verum” — immo est fallacia consequentis a duplici causa veritatis ad unam —, similiter non sequitur

“De mentiente non est falsum Sortem esse illum; ergo de mentiente est verum Sortem esse illum”. Quare non sequitur propter idem “Tu scis an de mentiente sit falsum Sortem esse illum; ergo tu scis an de mentiente sit verum Sortem esse illum”, cum in istis illae duae iam dictae secundum eandem consequentiam intelligantur.

<De disiunctiva coniunctione ‘vel’>

Habito de hac dictione ‘an’ consequenter dicendum est de hac disiunctiva coniunctione ‘vel’. Quae dicitur disiunctiva, non quia disiunctionem significat, sed quia in oratione ipsam exercet. Significat enim comparationem sive respectum unionis aliquorum inter se cum separatione ipsorum respectu tertii, ut dictum est de hac dictione ‘an’. Sed differunt ‘an’ et ‘vel’, quia ‘an’ solum disiungit inter propositiones, ut dictum <est> et patet ex praedictis, ‘vel’ autem aliquando inter terminos, aliquando inter propositiones.

De qua notandum quod aliquando dicitur poni disiunctive proprie, | ut quando disiungit inter ea quae simul non possunt esse vera, ut “Sortes currit vel non currit”, aliquando subdisiunctive, ut quando disiungit inter ea quae possunt esse vera, ut “Sortes currit vel Plato”.

Item haec dictio ‘vel’ aliquando semel ponitur in oratione, et tunc ad veritatem ipsius sufficit veritas alterius partis indeterminate, ut “Sortes currit vel non currit”. Quando vero bis ponitur, requiritur veritas pro altera parte determinata ad hoc quod sit vera, ut “Vel Sortes currit vel Plato”. Unde non valet argumentum ab ipsa semel posita ad ipsam positam bis. Unde non sequitur “Tu scis astra esse paria vel imparia; ergo tu scis vel astra esse paria vel imparia”.

Secundum praedicta quaeritur de hoc sophismate OMNIS PROPOSITIO VEL EIUS CONTRADICTORIA EST VERA.

Probatio: haec propositio “Sortes currit” vel eius contradictoria est vera, illa “Plato disputat” vel eius contradictoria est vera, et sic de aliis; ergo prima est vera.

Contra: omnis propositio vel eius contradictoria est vera; ergo omnis propositio est vera vel cuiuslibet propositionis contradictoria est vera; sed non omnis propositio est vera; ergo cuiuslibet propositionis contradictoria est vera; quod falsum est; quare et prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod illa coniunctio ‘vel’ potest disiungere inter terminos vel inter propositiones. Si inter propositiones, sic est falsa, ut improbat. Et sic distributio includitur a disiunctione secundum utramque partem contradictionis pro

qualibet propositione, et idem refertur per li eius. Vel potest disiungere inter terminos, et sic est vera, ut probatur. Et sic distributio includit disiunctionem et ita distribuit primam partem disiunctionis solum pro suppositis in comparatione ad aliam, scilicet pro altera parte secundum quamlibet contradictionem, secundum quod «*propositio est unius pars contradictionis*», sicut ARISTOTELES sumit eam in libro *Perihermenias*, et tunc li eius refert contradictionis partem alteram ei respondentem reddendo singula singulis, quia totum quodammodo sub distributione cadit.

<De coniunctione copulativa ‘et’>

Dicto de coniunctionibus disiunctivis dicendum est de coniunctione copulativa quae est ‘et’. Quae dicitur copulativa non quia copulationem significat, sed quia eam in oratione exercet. Immo significat compositionem unionis aliquorum in<ter> se et respectu tertii, scilicet substantialis vel accidentalis, et non respectu eiusdem temporis necessario, ut “Sortes et Plato sunt albi”. Tunc enim haec esset falsa “Adam et Noe fuerunt duo homines”, quia numquam fuerunt in eodem tempore.

Et diversificatur ista unio, quia ‘et’ aliquando ponit unitatem, ut “Homo est corpus et anima”, tunc totum copulatum facit unum unitate suppositi, et ideo potest supponere verbo singularis numero, ut “Anima rationalis et caro unus est homo”; aliquando tenetur copulative proprie, et tunc solum nata est componere diversa de pari se habentia respectu alicuius, quia haec coniunctio ‘et’ aequaliter respicit utrumque extremorum. Et hac de causa, quando praeponitur uni extremorum, necesse est ipsam geminari et praeponi similiter alteri, ut aequaliter se habeat ad illa, quia magis se habet ad illud cui praeponitur. Et tunc totum copulatum facit unum aggregatione, quod ponit multitudinem simpliciter, et ideo respicit | solum verbum pluralis numeri, ut “Sortes et Plato currunt”.

Est autem regula quod quaecumque ‘et’ ponitur in oratione cum alio syncategoremate, duplex est locutio ex eo quod unum potest includere reliquum vel e converso.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: OMNIS HOMO EST ET QUILIBET DIFFERENS AB EO EST NON HOMO.

Probatio: haec est quaedam copulativa cuius utraque pars est vera; ergo tota vera.

Contra: omnis homo est et quilibet differens ab eo est non-homo; ergo Sortes est et quilibet differens ab eo est non-homo; sed Plato differt a Sorte; ergo Plato est non-homo; quod falsum est; quare prima est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari per distributionem, et tunc li eo refert solum particulares homines secundum quod cadunt sub distributione, sic est falsa, ut improbatur; vel per copulationem, et tunc li eo refert pro quolibet homine, ut probatur.

<De dictione 'nec'>

Post haec determinanda est natura huius dictionis 'nec', quae componitur ex 'non' et 'et', unde negat et copulat. Sed patet sufficienter per illa quae de suis componentibus iam determinata sunt.

Sciendum tamen specialiter de ipsa quod quodcumque ponitur in oratione, exigit bis poni vel sibi praeponi negationem, ut "Sortes non currit nec Plato" vel "Nec Sortes nec Plato currunt".

<De dictione 'quanto'>

Sequitur de hac dictione 'quanto'. Quae secundum grammaticum tripliciter potest poni: aliquando interrogative, relative, vel infinite, sicut 'quantum'. Sic tamen non utimur ea in sophismatibus, sed solum secundum quod dicit causam inhaerentiae alicuius in aliquo, et hoc secundum omne genus causae. Aliquando dicit causam efficientem, ut "Quanto calor est intensior, tanto fortior est"; aliquando formalem, ut "Quanto albedo est purior, tanto res est albior"; aliquando materialem, ut "Quanto corpus est rarius, tanto est levius"; aliquando finalem, ut "Quanto praemium est maius, tanto labor toleratur facilius".

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: QUANTO ALIQUID MAIUS EST, TANTO MINUS VIDETUR.

Probatio: quanto aliquid maius est, tanto a remotiori videtur, et quanto a remotiori videtur, tanto minus videtur; ergo a primo: quanto aliquid maius est, tanto minus videtur.

Contra: ibi significatur esse causa inhaerenti<ae> praedicati in subiecto quod non est causa; ergo est falsa. Vel sic: quanto aliquid maius est, tanto maius videtur; non ergo minus.

Solutio: dicendum quod prima est falsa, ut improbatur. Ad probationem respondendum per interemptionem, quia haec est falsa “Quanto aliquid maius est, tanto a remotiori videtur”, sicut prima, quia maioritas non est causa remotae visionis, cum parvum lucidum a remotiori possit videri quam magnum obscurum sive opacum. Licet magis videri natum est rei convenire, quanto fuerit maior, non tamen natum est ei convenire respectu remotae visionis, sicut non sequitur quod, licet aliquis cognoscat Coriscum, quod cognoscat venientem, licet idem sit Coriscus et veniens.

<De reduplicatione>

Quia autem reduplicatio importata per hoc | quod est ‘in eo quod’ habet similem naturam cum hoc quod est ‘quanto’ sive ‘in quantum’, de reduplicatione quaedam sunt notanda.

Et primo quid sit reduplicatio. Est autem reduplicatio expressio causae inhaerentiae praedicati cum subiecto in oratione. Unde competenter potest dinumerari cum proprietatibus terminorum prius determinatis, quae sunt restrictio et implicatio et huiusmodi. Reduplicatio autem diversificatur per naturam et diversitatem causarum. Aliquando enim dicit sive reduplicat causam efficientem, ut “Sortes et Plato in eo quod sunt albi, sunt similes”, et “In eo quod sol lucet super terram, dies est”; aliquando materialem, ut “Corpus in eo quod organicum, est perfectibile ab anima”; aliquando formalem, ut “Homo in eo quod animatus, est animal”; aliquando finalem, ut “Medicina in eo quod est conservativa sanitatis, est utilis”.

Et est regula generalis de reduplicatione quod omnis propositio est falsa in qua illud quod non est causa alicuius consignificatur esse illius causa.

Secundum hoc quaeritur de hoc sophismate: ALIQUA IN EO QUOD CONVENIUNT, DIFFERUNT.

Probatio: aliqua in eo quod conveniunt, sunt; et in eo quod sunt, multa sunt; et in eo quod multa sunt, differunt. Ergo a primo: aliqua in eo quod conveniunt, differunt.

Contra: ibi reduplicatur oppositum esse causa sui oppositi, cum non sit; ergo locutio est falsa.

Solutio: dicendum quod prima est duplex. Cum enim in hoc quod est ‘conveniunt’ duo sunt, scilicet forma accidentalis, quae est convenientia, et subiecta convenientiae, quae sunt subiectum sive materia convenientiae, ex eo quod potest fieri reduplicatio gratia formae vel gratia materiae; si gratia formae, sic est falsa, et est sensus: quaeque conveniunt in eo quod sunt convenientia, differunt; si gratia materiae, sic est vera et est sensus: convenientia in eo quod sunt subiecta convenientiae, differunt; quod verum est, quoniam convenientia est diversorum.

Vel potest dici quod prima est falsa simpliciter, eo quod circa suppositum convenientiae reduplicatur convenientia, et ita semper fit reduplicatio gratia formae. Et ad probationem respondendum per interemptionem, quia haec est falsa “Aliqua in eo quod sunt, multa sunt”, quia omnia entia in eo quod entia sunt unum, sicut *«participatione speciei plures homines unus homo»*, ut vult PORPHYRIUS.

Et licet verum sit necessario quia illa quae conveniunt differunt, non tamen est verum cum hac determinatione ‘in eo quod’, quia ‘in eo’ dicit causam, et convenientia non est causa differentiae, sicut haec “Sortes in eo quod Sortes est risibilis”, falsa est, quia est risibilis in eo quod homo, tamen haec est vera “Sortes est risibilis”, quoniam illud quod reduplicatur debet esse causa praecisa illius respectu cuius reduplicatur. Unde debent esse consequentia ita quod mutuo se ponunt et cum praecisione et cum distributione. Unde sequitur “Sortes in eo quod est homo, est risibilis; ergo tantum homo est risibilis, et omnis homo est risibilis, et omne risibile est homo”.

De situ autem reduplicationis notandum quod in enuntiatione semper debet poni ad subiectum, ut “Homo in eo quod est animatus, est animal”; sed si velimus aliquid syllogistice concludere cum reduplicatione, reduplicatum debet poni ad maiorem extremitatem et non ad medium, ut “Omnis homo est risibilis | in eo quod homo; Sortes est homo; ergo Sortes est risibilis in eo quod homo”.

Et ARISTOTELES dat causam dicens quod aliter accideret *«falsum et non intelligibile»*. Ut “Omnis homo in eo quod homo est risibilis; Sortes est homo in eo quod homo; ergo Sortes est risibilis”, falsum accidit, quia idem ponitur esse causa sui ipsius et inhaerentiae eius in alio, et per idem non intelligibile, quia intellectus non potest comprehendere idem in essentia esse diversum in essentia; quod tamen ponitur cum dicitur “Sortes est homo in eo quod homo”, eo quod causa et causatum debent esse diversa in essentia; et talia debent esse reduplicatum et respectu cuius fit reduplicatio.

Sequitur de hac dictione 'quin'. Quae de suo intellectu habet consecutionem cum negatione. Unde dicunt quidam quod tantum valet quantum 'quod non'. Et dicitur 'consecutiva', non quia consecutionem significat, sed quia per ipsum dicitur fieri consequentia. Dicit enim consequentiam unius negativae ad aliam, ut "Sortes non est homo quin sit animal". De principali tamen eius intentione denotatur quod de necessitate affirmatio unius ponit affirmationem alterius, sive quod affirmatio unius non potest esse sine affirmatione alterius, ut illius cum quo ordinatur. Unde "Non est homo quin sit animal; ergo si est homo, animal est", et per consequentiam e contrario, ut "Si non est animal, non est homo". Significat enim ibi quod homo non potest esse sine animali, et ita quod ad hominis esse sequitur necessario animalis esse. Et ita quia 'quin' ordinatur cum illo quod secundum rem intelligitur necessario affirmative sequi ad affirmationem alterius, per prius dat intelligere consecutionem quam antecessionem, licet consecutio non est sine antecessione, et propter hoc dicitur esse dictio illativa.

Et secundum hoc datur eius differentia ad hanc dictionem 'si', licet utraque consecutiva sit, quia haec dictio 'si' magis se habet ad antecessionem, unde semper cum antecedente se tenet, haec autem dictio 'quin' magis ad consecutionem eo quod est dictio illativa et illatio principaliter est consequentis. Unde magis se tenet cum illo quod secundum veritatem intelligitur esse consequens. Unde dicitur quod 'si' significat causalitatem in antecessione, scilicet causae efficientis, 'quin' vero significat causalitatem in illatione sive consecutione, scilicet causae finalis.

Alia est differentia quod 'si' denotat tam consequentiam simplicem quam compositam, 'quin' autem simplicem solum et non compositam secundum consequentiam in ipso vel e contrario; et hoc vel simpliciter, ut "Aristoteles non est homo, quin sit animal" vel ut nunc, ut "Sortes non comedit, quin bibat".

Item notandum quod 'quin' aequivocum est. Uno enim modo est nota affirmationis et tunc est adverbium affirmandi, et semper vult subiungi negationi alicuius, ut "Non dubito quin Deus sit", id est non dubito Deum esse, "Non nego quin homo non sit asinus", id est non nego hominem non esse asinum. Alio autem modo est nota consecutionis cum negatione; unde idem est quod 'si non', licet ex consequenti, ut dictum est.

Quod autem dictum est prius, quod idem valet quantum 'quod non', sciendum quod ipsum 'quod' non est de suo significato, sed ipsum

dat intelligere per respectum ad suppositum orationis praecedentis, et hoc solum quando ipsum sumitur infinite, ut “Nihil est homo quin sit animal”, id est nihil est homo quod | non sit animal. Supposito tamen sumpto finite, ipsam negationem cum condicione dat intelligere, ut ‘si’ et non ‘quod’, ut “Sortes non est homo quin sit animal”, id est: Sortes non est homo, si Sortes non est animal.

Sciendum autem quod ipsum ‘quod’ dupliciter potest exponi sive sumi: uno modo prout est coniunctio, et sic ‘quod’ numquam valet quod ‘quin’, quoniam magis facit orationem copulativam quam condicionalem. Unde potest subiungi tam negativae quam affirmativae, ut “Deus non vult quod aliqua sint prava”, “Deus vult quod omnia sint bona”. ‘Quin’ vero solum subiungitur negativae; unde nihil est dictu “Sortes currit, quin movetur”, sicut “Sortes non currit, quin movetur”. Aliquando sumitur ‘quod’ prout est nomen, et hoc dupliciter: aut enim cum negatione subiungitur orationi affirmativae, ut “Animal est sanum quod non est aegrum”, et tunc non dat intelligere ‘quin’, quoniam ‘quin’ non subiungitur affirmativae, ut dictum est; aut subiungitur negativae, ut “Animal non currit, quod non movetur”, et hoc ultimo modo solummodo valet idem quantum ‘quin’.

Secundum iam dicta quaeritur de hoc sophismate: TU NON POTES VERE NEGARE TE NON ESSE ASINUM.

Probatio: te non esse asinum est quoddam necessarium; sed tu non potes vere negare necessarium; ergo tu non potes vere negare te non esse asinum.

Contra: tu non potes etc.; ergo tu non potes vere negare quod tu non sis asinus. Et si tu non potes vere negare quod non sis asinus; ergo non potes negare quin sis asinus. Et si non potes vere negare quin sis asinus; ergo tu es asinus — sicut sequitur “Tu non potes vere negare quin Deus sit; ergo Deus est”; sed haec est falsa; quare et prima ex qua sequitur.

Solutio: dicendum quod prima est vera simpliciter. Ad improbationem autem dicendum quod prima consequentia bona est, haec scilicet “Tu non potes vere negare te non esse asinum; ergo tu non potes negare quod tu non sis asinus”. Sed secunda consequentia, cum dicitur “Tu non potes vere negare quod tu non sis asinus; ergo tu non potes negare quin sis asinus”, non est bona. Aut enim illud ‘quod’ est nomen aut coniunctio. Si fuerit coniunctio, tunc non aequipollent ‘quod non’ et ‘quin’, ut dictum est. Si fuerit nomen, non aequipollent ‘quod non’ et ‘quin’, quoniam ‘quod’ non est subiectum respectu illius quod negatur per ‘non’; est enim sensus: tu non potes vere negare illud necessarium quod est “Tu non es asinus”. Et ita nullo modo una sequi-

tur ex alia. Similiter dato quod illud sequeretur, tamen non valeret illa consequentia ultima, quae dicit “Tu non potes vere negare quin sis asinus; ergo tu es asinus”, quoniam ‘quin’, in quantum sequitur ad ‘quod non’, est nota consecutionis habens in se naturam negationis; unde non ponit affirmationem absolute. Et quod ponit inhaerentiam absolutam illius cum quo ordinatur, hoc est in quantum tenetur affirmative solum. Et ita in ultimo processu est fallacia aequivocationis huius dictionis ‘quin’.